

HENRICI CALLISEN,

Medicinae Doctoris, Anatomiae et Chirurgiae in Vniuersitate Hafniensi Professoris, Classium regiarum Chirurgi primarii, Nosocomii nautici vt et Legionis classiariae secundae Jatri, Regii Collegii medici Membri, Regiae Academiae Chirurgorum Parisinae Socii correspondentis, Societatis artium incitandarum Londinensis nec non medicae Hafniensis Sodalis,

INSTITVTIONES

CHIRVRGIAE

HODIERNAE

IN VSVM ACADEMICVM ADORNATAE.

Ea quidem medicamenta et victus rationem non omittit, manu tamen plurimum praestat: estque eius effectus inter omnes Medicinae partes euidentissimus.

CELS.

HAFNIAE cIↄIↄccLXXVII.

Impensis JOHANNIS GOTTLOB ROTHE, Aulae Regiae et Vniuersitatis Bibliopolae.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AVDITORIBVS
AESTVMATISSIMIS
S.

Qvas nunc publici iuris feci, Institutiones Chirurgiae hodiernae, Vobis, Commilitones optimi, dico et dedico, dulcissimum operae praemium reportaturus, si Vobis, in quorum gratiam et emolumentum hunc laborem suscepi, quorum fauore incitatus inter acerbissimum luctum atque multas occupationes practicas coeptum persequutus sum, omnino satis fecerit, sique ex hisce etiam pagellis sincerum praeceptoris animum cognoueritis.

Nisi enim vtilis esse quam videri, Vestrisque commodis, quam meis, prospicere maluissem, facili negotio praelectiones meas absoluere potuissem. Licebat alieno compendio vti: aliam

quamlibet epitomen interpretari, illuſtrare, emendare, ampliare fas erat. Tanta autem poſt Ill. PLATNERI obitum ars noſtra cepit incrementa, tanta recentius quodque compendium premit breuitas; nonnulla, obſcuritas, praua methodus aque vero aberratio; vt vel absque praemeditatione ad explicandum auctorem accedere et praelectioni perfunctoriae haud paruam vtilitatis ſpeciem conciliare potuiſſem.

AT vero Chirurgiam hodiernam, ex vna parte adeo repurgatam, ex altera adeo locupletatam, fideliter, quoad vires ſinunt, alio ſcriptore duce traditurus, hunc certe, quisquis demum fuiſſet, toties caſtigare, ſupplere, quinimo plane relinquere debuiſſem, vt labor taedioſiſſimus doctrinam pepериſſet indigeſtam, inconcinnam, ſcriptura VOBIS difficulter perſequendam, fructuoſaeque repetitioni minime ad-

com-

commodatam. Vnde a Vobis ſaltem excuſatum iri confido, quod tot inſtitutionibus chirurgicis meas denique addiderim.

Vervm enimuero, quo vberius et adcuratius ea pertractare poſſem, quae Vobis, o Optimi, ſcitu maxime ſunt neceſſaria, varia omiſi, quae praecedentes auctores habent.

Et primo quidem Chirurgiam ad verum ſuum ambitum reuocaui, illis non adſtipulans, qui omnem morborum vniuerſitatem inter Medicum et Chirurgum diuiſam volunt. Quousque *auxiliorum externorum* neceſſitas occurrit, Chirurgiae prouincia patet. Hinc varios morbos adduxi, quos ſicco pede praeterire conſueuerunt auctores chirurgici. Totam vero *therapiam internam*, vtpote ad Medicum ſtricte ſic dictum referendam, inſtitutum

non admittit. Neque tamen Vobis, Auditores humanissimi, in hacce artis parte perinde elaboranda et edenda deero, quam primum spatium dabitur. Ad ea interim, quae in praelectionibus circa medicamentorum internorum vsum monere soleo, vt attendatis rogo.

Chirvrgiam *dentium* declarare, dicendorum magis necessariorum copia non permittit.

Ars *obstetricia* in propria schola iam addisci solet, hinc instituti nostri ambitum haud ingreditur.

Qvam vulnerum pertractationi nonnulli subiungunt, doctrina de varia laesionum externarum lethalitate, ad *Chirurgiam forensem* pertinet, cuius primas lineas aliquando, adspirante summo numine, exarare apud animum constitui.


Biblio-

Bibliothecam et *hiſtoriam* chirurgicam excludit inſtitutio ratio. Ill. Halleri opus euoluentes, ſummum virum etiam in hac re omne tuliſſe punctum, grati mecum fatebimini.

Qvamqvam vero inuentores atque reformatores de arte noſtra meritiſſimos in hoc compendio non adducam, non ideo docentem debitas quoticuiusque laudes tacere nouiſtis. At eo minus clara nomina omittere dubitaui, quo minus ſoli famae, quamtumcumque peruagatae, credidi. Multos ſane, eosque celeberrimos, domi foriſque habui magiſtros, aeternum mihi colendos; at in nullius verba iuraui, nihil, niſi quod certum atque comprobatum habeam, adoptaui. Quantum autem fidendum ſit experientiae meae, licet in toto opere expreſſis verbis vix bis adductae, Vos, Commilitones, iudicetis.

Adparatvs et *encheireſes* quod ſpectat, de his tantum praecipua momenta, quae inter inſtitutas coram Vobis operationes viua voce explicare ſoleo, adferre, quam verboſa ac inani minutiorum expoſitione vltra compendii limites excurrere ſatius putaui. Vnde etiam ex variis operationibus, in ſingulo quodam morbo propoſitis, eam tantummodo declaraui, quae reliquis praeſtantiorem eſſe iudicaui vel vſu didici.

Vos autem, Auditores candidiſſimi, his mecum vtimini, plura in Vestrvm commodum molienti fauete et valete. Dabam Hafniae prid. Kal. Octobr. cIↃccLxxvii.



ELEN-

ELENCHVS

RES MAXIME NOTABILES

SECVNDVM

PERTRACTATIONIS ORDINEM

SISTENS.

INTRODVCTIO.

PARS PRIOR

MORBI VNIVERSALES.

SECT. I. *MORBI VNIVERSALES SOLIDORVM.*

Cap. I. LAXITAS MORBOSA.

Cap. II. RIGIDITAS MORBOSA.

SECT-

SECT. II. *MORBI VNIVERSALES HVMORVM.*

CAP. I. QVANTITAS HVMORVM PRAETERNATVRALIS.

SANG-

PARS

PARS ALTERA
MORBI LOCALES.

SECT. I. *MORBI AB IRRITAMENTO.*

Cap. I. DOLOR.

Cap. II. SPASMVS.

Cap.

Cap. III. INFLAMMATIO.

In-

CAP. IV. FEBRIS.

SECT.

SECT. II. *MORBI AB IMPEDITO TRANSITV.*

SVBSECT. I. *TVMORES.*

CAP. I. HYDROPES.

haute-

Cap. II. PHYMATA.

CAP. III. CYSTIDES.

CAP. IV. EXCRESCENTIAE.

Cero-

Svbsect. II. *MARCORES.*

Cap. i. TABES.

Cap. ii. PTHISIS.

Cap. iii. MARASMVS.

Svb-

SVBSECTIO III. *RETENTIONES.*

CAP. I. ISCHVRIA.

CAP. II. DYSVRIA.

CAP. III. OBSTIPATIO.

SVBSECT. IV. *RESOLVTIONES.*

CAP. I. APOPLEXIA.

CAP. II. PARALYSIS.

SVB-

SVBSECT. V. *CORRVPTIONES.*

CAP. I. GANGRAENA.

CAP. II. NECROSIS.

SVBSECT. VI. *SVFFOCATIONES.*

SECT.

SECT. III. *MORBI EX SOLVTIONE CONTINVI.*

SVBSECT. I. *VVLNERA.*

CAP. I. VVLNERA IN VNIVERSVM.

Vulnus

CAP.

Cap. II. VVLNERA IN SPECIE.

Ope-

Satv-

Svbsect. II. *APOSTEMATA.*

Cap. I. ABSCESSVS IN GENERE.

Ab-

Cap. II. ABSCESSVS IN SPECIE.

Svb-

Svbsectio III. *VLCERA.*

Cap. i. VLCERA IN GENERE.

Cap. ii. VLCERA IN SPECIE.

cauſſae

Sʏʙsᴇᴄᴛ. IV. *FRACTVRAE.*

SECT. IV. *MORBI EX SITVS MVTATIONE.*

Cap. I. HERNIAE.

 cysto-

CAP.

CAP. II. PROLAPSVS.

CAP. III. DEVIATIONES.

CAP. IV. LVXATIONES.

CAP.

Cap. v. DIASTASES.

SECT. V. *MORBI A CONFORMATIONE PRAETERNATVRALI.*

Svbsect. I. *COHAESIONES PRAETERNATVRALES.*

Cap. I. CATARACTA.

Cap. II. CALCVLVS.

Calcu-

CAP.

Cap. III. IMPERFORATIO.

Cap. IV. ANCHYLOSIS.

Svbsect. II. *ABVNDANTIAE VITIOSAE.*

Svbsect. III. *DEFECTVS PRAETERNATVRALES.*

Errata

Errata notabiliora.

Pag.	67	*Lin.*	12	*lege:*	apoſtemate
—	85	—	3	—	imminutus
—	87	—	2	—	alterutrum
—	—	—	5	—	exſecta
—	94	—	11	—	intumeſcentia
—	—	—	19	—	iniuriae
—	105	—	7	—	loco
—	137	—	6	—	vero quidem dolore,
—	146	—	10	—	octauum
—	153	—	21	—	albumini
—	—	—	23	—	increſcens
—	157	—	10	—	varicoſa
—	178	—	7	—	altius adſcendit, quod dolor
—	181	—	6	—	abſentia
—	189	—	3	—	ſiſtens
—	—	—	4	—	quod
—	192	—	20	—	ſuperior
—	199	—	7	—	omnes
—	204	—	17	—	propria
—	223	—	6	—	ſine viſus ope
—	234	—	8	—	rapiendo
—	236	—	11	—	vtrum
—	239	—	5	—	ferme
—	—	—	15	—	deducat
—	265	—	24	—	ancipitis
—	337	—	24	—	bracchio
—	372	—	18	—	cicatrice
—	384	—	20	—	dirigentem

Pag.	410	*Lin.*	17	*lege*	apoplexiam
—	430	—	9	—	vilioris
—	523	—	23	—	catameniorum
—	546	—	24	—	ſphaericam
—	552	—	10	—	inſidens
—	561	—	22	—	praegreſſa
Praef.	6	—	10	—	quam

Correctis hiſce ſphalmatibus, quae effugere non potui, quum rebus fideliter declarandis magis quam verbis anxie elimandis operam dederim, plura ſuperſunt, quibus tamen lectorem non impediri ſpero, quo minus mentem meam recte capiat; neque literula omiſſa vel transpoſita totius operis dictionem ſuſpectam reddet.



INSTI-

INSTITVTIONVM
CHIRVRGIAE
HODIERNAE
LIBER PRIMVS.

INSTITVTIONES CHIRVRGIAE.

INTRODVCTIO.

I.

CHIRVRGIA *est* illa Medicinae practicae pars, quae externas morborum curationes comprehendit.

II. OMNIS autem curatio externa (I) vel nuda manu, vel instrumentis, vel remediis corpori externe adplicatis *efficitur*.

III. VERVM enim vero non sufficit, diuersorum auxiliorum externorum (II) efficaciam in auertendis et auferendis morbis probe nosse, eorumque adplicationem rite didicisse: scire etiam oportet, quomodo eadem in corpus humanum agant, qualemque relationem ad caussas morborum habeant. Vnde patet, verioris nominis CHIRVRGVM illum esse, qui in curationibus externis peritus harum quoque relationem

ex principiis, quantum fieri poteſt, certis deriuat vel derivare tentat.

IV. Morborvm *cauſſae* in genere ſpectatae vel in *fluidis* vel in *ſolidis* corporis partibus haerent.

V. Cavssae morbificae vel in vniuerſa fluida aut ſolida, vel in ſingulam tantummode partem agunt. Hinc morbi, tum humorum, tum ſolidorum, diuiduntur in *vniuerſalis* et *ſingulares*. Poſteriores etiam *locales* ſeu *topici* dici ſolent.

VI. Morbi *humorum vniuerſales* curantur vel *alteratione* vel *euacuatione*.

VII. Qvvm *alteratio* humorum in vniuerſum peccantium nullo auxilio externo directe effici poſſit, ſequitur eiusmodi morbos (vi) quoad hanc indicationem ad obiecta Chirurgiae haud pertinere.

VIII. Qvvm e contra dictorum humorum euacuatio multiplici auxilio externo perfici poſſit, eosdem morbos (vi.) maximam partem Chirurgiae prouinciam ingredi neceſſe eſt.

IX. Ad

IX. Ad curandos *ſolidorum* morbos *vniuerſales* requiritur, vt vel *rigiditatis* vel *laxitatis* exceſſus auferatur.

X. Qvvm vterque exceſſus (ix.) vario auxilio externo tolli poſſit, ſequitur morbos ſolidorum vniuerſales ex parte curationem chirurgicam exigere.

XI. Morbi *humorum locales* non ſolum ab ipſis fluidis peccantibus, verum etiam a vitiata ſimul ſolidi continentis conditione originem habent.

XII. Solidorvm morbi *locales* contingunt quotiescumque pars organica quoad integritatem functionis ſuae laeditur.

XIII. Integritas functionis (xii.) *laeditur*

a. a cauſſa irritante,

b. ab impedito vel ſuppreſſo humorum circulo,

c. a ſolutione continui,

d. a mutatione ſitus legitimi,

e. a concretione vitioſa,

f. ab abundantia morboſa,


g. a defectu praeternaturali.

XIV. Qvvm integritas functionum partium organicarum a dictis (xii) caussis laesa auxiliis externis efficacissime restituatur, sequitur solidorum morbos locales (xii) Chirurgiae praecipue auxilia poscere.

XV. Ad *Obiectum* itaque Chirurgiae in vniuersum pertinet omnis morbus humorum vel solidorum, vniuersalis vel specialis, qui curationem externam exigit vel etiam admittit. Vnde elucescit latissimus Chirurgiae *ambitus* summaque *dignitas*.

XVI. In pertractandis autem curationibus externis (ii) et exponenda harum ratione (iii) fundamentum *ordinis* petimus ex dicta (iv. v. xiii) praecipua morborum diuisione.

XVII. Diximvs (iv) morbos vel in partibus solidis haerere vel in fluidis: vtramque classem iterum diuisimus (ix) in vniuersales et particulares. Ordiemur iam de illis, qui vel solida vel fluida *in vniuersum* occupant, ad *particulares* deinde progressuri.



PARS

PARS PRIOR.

MORBORVM VNIVERSALIVM CHIRVRGIA.

XVIII.

Morborvm vuiuerſalium tractatio iam in binis ſectionibus proponenda venit: in priore *ſolidorum*, in altera *fluidorum* adfectiones conſiderabimus.

SECTIO I.

MORBI SOLIDORVM VNIVERSALES.

XIX.

Partes ſolidae in genere, i. e. nulla elaſticitatis, irritabilitatis, ſenſilitatis cet. ratione habita, ſpectatae, duplici potiſſimum modo peccare poſſunt, *laxitate* nimirum et *rigiditate* (IX) vtriusque vitii naturam et curationem in ſequentibus duobus capitibus declaraturi ſumus.

CAPVT I.

SOLIDORVM LAXITAS NIMIA EIVSQVE REMEDIA.

XX.

Fibrarvm laxitas *exceſſu peccat*, quando motus naturalis, vel paullo maior, debitam illarum reſiſtentiam ſuperat.

XXI. Cvivs vitii (xx) *principium* eſt tanta imminutio cohaeſionis in ſtaminibus inque ipſis elementis, quanta ad tollendum impulſus et reſiſtentiae aequilibrium ſufficit.

XXII. Cohaesio elementorum (xxi) immediate imminuitur fibrillarumque firmitas laeditur, quoties vel gluten nectens vel moleculae terreae a Naturae norma aberrant.

XXIII. Ad laxitatis morboſae *cauſſas* procatarcticas pertinet, quodcumque alimentorum digeſtionem cum conſtantia impedit, vel requiſitam ſucci nutrititii adſimilationem et adplicationem laedit, vel fibrillarum nimiam extenſionem efficit.

XXIV.

XXIV. Necessarivs et immediatus huius vitii (xx.) *effectus* eſt defectus firmitatis fibrarum, vnde diverſimoda ſolidorum debilitas, et inertia motuumque naturalium laeſio, varia cruditas, congeſtio, ſtagnatio, corruptio, dislocatio, omnis generis malorum origo.

XXV. Matvra laxitatis nimiae (xx) *diagnoſis* haud facile eruitur. Singulis enim hominibus diuerſa eſt ſtricti laxique temperies, cuius exceſſus adeoque ſemper eſt reſpectiuus. Lento deinde gradu hoc vitium irrepit. *Confirmatam* autem laxitatem aperte declarant effectus (xxiv) ſenſibiles, diſtincti, ad reſiſtentiae et determinatae decrementum aucti.

XXVI. Qvorum (xxiv) vlteriores *ſequelae* facile praeuidentur, ſi perſpecta vitii cauſſa (xxiii), vehementiae gradus et duratio cum ceteris corporis conditionibus conferantur.

XXVII. Morbosa laxitas vel nullam admittit, vel operoſam ſaltem exigit *curationem.* Requirit haec vt integra fibrillarum firmitas (xxii) reſtituatur. Quod obtinetur medendi methodo tum ad remouendam cauſſam pro-

catarcticam (XXIII), tum ad reparandam ſtaminum cohaeſionem (XXII) idonea.

XXVIII. Posteriori ſcopo tria potiſſimum auxiliorum externorum genera inſeruiunt: *frictio*, *compreſſio*, *frigidae adplicatio*.

Frictio.

XXIX. Frictio *eſt* antiquiſſima, ſimpliciſſima et efficaciſſima operatio (II), quae notiſſimo manus vel inſtrumenti ſuper parte motu peragitur.

XXX. Quae quidem *vario* ſcopo, modo et gradu adhibetur: hic vero de ea tantum agitur, quae datis (XXVII) indicationibus reſpondet.

XXXI. Haec manu, vel inermi, vel ſindone aut panno aſpero, calido, ſtimulantium virtute impraegnato, inſtructa *inſtituitur*, adque conſpicuam partis rubeſcentiam et intumeſcentiam continuatur.

XXXII. Communis, licet gradu diuerſus, omnis frictionis (XXIX) *effectus externus* eſt alterna

alterna partis preſſio et releuatio: dictae (xxx. xxxi) ſpeciei magis proprius eſt eiusque finem conſtituit alter (xxxi) dictus. *Internum* huius auxilii effectum quod attinet, rite adminiſtratum ſequitur moderata ſolidi ſimplicis commotio, viui irritatio: vtrumque ad firmandam ſtaminum cohaeſionem (xxvi) egregie conſpirat.

XXXIV. Vt vt autem fiat (xxxi) *cauendum* eſt, ne praecipiti, inordinato aut violento modo ſuſcipiatur. Gradatim adque dictum (xxxi) terminum aucta tantum ſalutares praeſtat effectus (xxxii); vltra eundem protracta vel incaute adhibita maiorem laxitatem ipſamue rupturam fibrillis inducit, repulſis ſimul humoribus partes vitales obruens.

Compreſſio.

XXXV. Compressio in vniuerſum *eſt* operatio, dignitate priori (xxix) vix ſecunda, qua partes molles ope corporis externi ſtrictiores redduntur.

XXXVI. Haec (xxxv.) etiam vario reſpecta *varia* eſt: nobis itidem ea modo conſide-

randa venit, quae a nimia laxitate ſolidorum ſimplicium indicatur.

XXXVII. Qvae *paratur* artificioſa veſtimentorum aut faſciarum ad partes externas adplicatione vel ſtrictura.

XXXVIII. Commvnem omnis compreſſionis *effectum externum*, (xxxv) diximus: in praeſenti ſpecie (xxxvi. xxxvii) euidens eſt partis in minus volumen redactio. *Effectus internus* eſt propior fibrarum, lamellarum, parietum ad ſe inuicem acceſſus: unde cellularum et vaſorum coarctatio. Relaxatis ſimul ſolidis fulcimento, fluidis diſtenſuris malumque aucturis obſtaculo eſt hocce auxilii genus. Vnde patet quantum reparandae ſtaminum cohaeſioni faueat.

XXXIX. Inprimis *faſciae circulares*, partibus extremis ad arctioris tegumenti ſimilitudinem iniectae, in multis earumdem morbis, a relaxatione oriundis, remedium conſtituunt longe praeſtantiſſimum.

XL. Qvi compreſſionem dicto (xxvii) ſcopo adhibet, id maxime *curet*, vt illa aequabiliter

liter atque per gradus fiat: praecipue autem in praeſtanda enchireſi exercitatum et regularum artis probe gnarum eſſe decet, qui faſcia circulari (XXXIX) partem inuoluit.

Frigidae adplicatio.

XLI. AQVAE frigidae adplicatio quid *ſit*, facile intelligitur. Pertinet ad tertiam curationum externarum (II) claſſem, antiquitate et praeſtantia nulli alii ſecunda.

XLII. DE hoc quoque valet, quod (XXX. et XXXVI) de praegreſſis dictum eſt.

XLIII. QVAE firmandae cohaeſionis cauſſa adhibetur frigidae adplicatio, duplici fit modo: quippe corpus vel hac perfunditur vel eidem immergitur.

XLIV. VTRAQVE (XLIII) rite adminiſtrata *effectus* habet notabiles et contrarios, ad obtinendum tamen dictum (XXVII) ſcopum egregie conſpirantes. Hi duo abſoluunt ſtadia.

XLV. IN ſtadio *priori*, quod ſub ipſo primo frigidae contactu incipit et paullo vltra eius remotionem excurrit, *externa* corporis ſuper-

ficies

ficies ſubitaneam patitur refrigerationem, expalleſcit et contremiſcit. *Intus* fluida condenſantur, ſolida ſimplicia contrahuntur, viua irritantur. Vnde extremorum canalium coarctatio, perſpirationis cutaneae ſuppreſſio, humorum in vaſa maiora regurgitatio, aucta cordis reſiſtentia ictuumque eius aliqua remiſſio, ſanguinis in viſceribus bibulis, praecipue in encephalo, accumulatio. Quae omnia repente cum ſumma celeritate atque vehementia fiunt: eo quidem magis, quo magis ſubitanea, grauis ſimul ac fugax eſt frigidae adplicatio. Patet, quantum augendae ſtaminum cohaerentiae (XXVII) faueat huius ſtadii effectus.

XLVI. QVOD (XIV) maxime poſt remotam frigidam ſenſim tranſit in alterum. Quippe in *externa* cute renaſcitur calor et rubor, vterque naturali maior, receduntque tremores. *Intus* fluida iterum expanduntur, ſolida relaxantur, vivis noua energia accedit. Preſſione enim externa, quae circulo ſanguinis obſtaculo erat, remota, vi nervea et muſculari a frigoris et reſiſtentiae ſtimulo excitata, cordis actio valide inſur-

ſurgit, humores aucto impetu diſtribuit, libertatem et aequabilitatem circuli reſtituit: ſpiritus vitales, ab copioſiore ſanguinis in encephalum influxu vberius reparati, omne corpus, adiuuante vaſorum actione, percurrunt et reficiunt: perſpiratio et quaeuis alia ſecretio ſuppreſſa iterum viget. Omnes hi effectus vehementiae gradu praegreſſis (LXV) reſpondent. Egregie concurrere illos ad confirmandam cohaerentiae reparationem facile colligitur.

XLVII. SEQVITVR frigidae adplicationem non ſolum in *laxitate* ſolidi ſimplicis verum etiam in *debilitate* viui, adeoque in morbis innumeris, grauiſſimis ex vtroque vitio oriundis remedium eſſe palmarium, cum ad *curationem*, tum maxime ad *prophylaxin* perquam idoneum.

XLVIII. VERVM enim vero *notandum* eſt, ſubitaneam et vno fere momento abſolutam aquae frigidae adplicationem ſufficere ad dictos (XLVII) ſcopos obtinendos. Minus repentina aut diutius protracta vehementer ſuſpecta habetur, quum potius laxitati inducendae vel augendae faueat, vt alia mala exinde oriunda taceamus,

amus. In vniuerſum autem efficaciſſima haecce curatio in vſum trahi *non debet*, quoties notabiliter viget cutanea euacuatio, impune haud laedenda, quoties extrema adeſt viſceris cuiusdam labefactatio, vel ſanguis copia peccat vel in violentat congeſtiones procliuis eſt.

CAPUT II.

SOLIDORVM RIGIDITAS NIMIA EIVSQVE CVRATIO.

XLIX.

Morbosa fibrarum *rigiditas* (IX) *adeſt*, quando motus naturalis debitam illarum reſiſtentiam ſuperare nequit.

L. Hvivs (XLIX) principium eſt tam firma fibrillarum minimarum ipſorumque elementorum cohaerentia vt requiſitae ſecundum naturam flectioni aut elongationi fibrae reſiſtant.

LI. Qvae quidem a ſtatu ſano deuiatio perinde ac oppoſitum vitium (XXII) tum glutinis tum molecularum terrearum culpa inducitur.

LII.

LII. Variae id (li) efficiunt *cauſſae* procatarcticae, quotquot nimirum congerendae in partibus ſolidis materiae terreae vel nimiae eorumdem contractioni fauent.

LIII. Mvltiplices et periculoſi rigiditatis morboſae *effectus* tum immediati, tum mediati, ex illis, quae de contrario vitio diximus (xxiv. xxvi), facile cognoſcuntur.

LIV. Qvae de *diagnoſi* prioris vitii (xxv) monuimus, etiam de praeſenti dicta ſunto.

LV. Idem valet de praecipuis *curationis* momentis.

LVI. Palmaria autem in rigiditatis exceſſu *auxilia* externa ſunt

a. *Vapor* aquae calidae corporis peripheriae adplicatus:

b. *Fotus* aquoſus, aut mucilaginoſus, aut oleoſus, tepidus:

c. *Vnctio* oleoſa, blanda:

d. *Balneum* tepidum vel ſimplex aquoſum, vel emollientibus nuptum.

SEC-

SECTIO II.

MORBI HVMORVM VNIVERSALES.

LVII.

Adfectiones in vniuerſis fluidis (v. xviii) quaerendae vel ad *quantitatem* vel ad *qualitatem* eorum praeternaturalem referri poſſunt. Quae adeoque ſub duplici conſpectu commode ponuntur.

CAPUT I.

QVANTITAS HVMORVM PRAETERNATVRALIS

ET CHIRVRGIAE PRAESIDIA HVC SPECTANTIA.

LVIII.

Hvmorvm in genere ſpectatorum quantitas vel *exceſſu* vel *defectu* peccat.

LIX. In priori vitio (lviii), quod vtplurimum ſanguinis abundantiam inuoluit et *Plethora* ſalutatur, varia auxilia externa locum habent ſummamque vtilitatem; quae autem in fluidorum defectu vix et ne vix quidem conducunt.

LX.

LX. Varia dantur auxilia externa, ad maiorem minorem vel ſanguinis vel alius humoris eductionem idonea, quae adeoque partim dicto (lix) ſcopo, partim in ſingularium morborum curationibus adhibentur. Quorum recenſionem hoc loco haud incongrue ſubiungi poſſe putamus.

LXI. Neqve tamen omnia auxilia euacuantia externa (lx) pari gradu ſunt idonea atque vſitata. Nonnulla ſaltem ſunt, quorum vtilitatem non ſatis euicit experientia: quo referendam eſſe putamus *vulnerum vlcerumque ſuctionem*, *ſpongiam deterſiuam* ad faucium emunctionem, *antliam vriniſugam* ad veſicae vrinariae euacuationem commendatam et alia eiusdem furfuris inuenta.

LXII. In recenſendis vſitatioribus (lxi) ordinem ſequimur, quem ipſorum humorum educendorum diuerſitas ſuppeditat. Euacuatur nempe

a. ſanguis *Venae ſectione*,

Arteriotomia,

Scarificatione,

Sanguiſugio:

b. lac *Lactiſugio*

 c. lym-

c. lympha ſerumque *Veſicatorio:*

d. mucus *Errhino externo:*

e. ſaliua *Sialogogo externo:*

f. vrina *Catheteriſmo:*

g. purulenta *Fonticulo*

Setaceo,

Onchotomia:

h. faeculenta *Clyſmate:*

i. varia *Iniectione*

Paracentheſi,

Inciſione:

Venae ſectio.

LXIII. VENAESECTIO *eſt* operatio (11) qua vena quaedam ſingula opportuna inciditur ſanguiniſque tanta copia detrahitur, quanta ad obtinendam indicationem ſufficit.

LXIV. CVIVS *effectus immediati* et *perpetui* ſunt, maſſae ſanguineae imminutio, venae inciſae arteriarumque huic correſpondentium depletio: qui-

quibus vtplurimum accedit auctus ſanguinis in illas arterias adfluxus.

LXV. Vnde (lxiv) iterum multiplices profluunt *effectus mediati.* Quippe maſſa ſanguinis imminuta, moles mouendorum et reſiſtentia in arteriis minuitur, hinc cordis ſtimulus circulique impetus frangitur, ſanguis fit minus denſus: depletio venae ſociaeque arteriae humores in ipſis accumulatos euacuat, ex ramis vicinis deriuat, circulum localem liberiorem reddit: aucto ſanguinis in arterias ad ſectam venam pertinentes adfluxu parcius ille aliorſum vehitur.

LXVI. Omnis itaque ſanguinis e vena inciſa miſſio eſt *euacuatoria,* quatenus ſyſtematis ſanguiferi partem deplet; *ſpoliatoria,* quatenus humorum maſſam in vniuerſum, et cruoris quantitatem in ſpecie minuit; *deriuatoria,* quatenus vaſa vicina liberat, *reuulſoria* demum, quatenus impetum circuli aliunde reuocat.

LXVII. Propter diuerſos hos effectus (lxvi), ad obtinendas varias eaſque magni momenti in-

dicationes vtilissimos, inter *praesentissima* et *praestantissima* auxilia externa iure meritoque collocatur venaesectio.

LXVIII. Non ideo est dissimulandum, dictos (lxvi) effectus haud semper esse aeque notabiles: pro diuersa venae a corde distantia et capacitate, incisionis magnitudine, riuuli prosilientis velocitate, partium vicinarum conditione, diuersus quoque est illorum gradus.

LXIX. Singvlarem locum meretur venae *varicosae*, haemorrhoidalis praecipue incisio, ad minuendam expansionem et extrahendum coagulum commendata, in praetumido, tenuissimo cutique adhaerente varicis loco instituenda.

LXX. Ad communem sanguinis missionem (lxii) prae reliquis *opportunae* sequentes habentur venae:

a. in bracchio,

α. *cephalica*,

β. *basilica*,

λ. *mediana cephalica*,

δ. *mediana basilica*,

ε. *medi-*

ε. *mediana magna,*

ζ. *cubitalis:*

b. in manu,

α. *ſaluatella,*

β. *cephalica,*

c. in pede,

α. *ſaphaena interna,*

β. *ſaphaena externa,*

γ. *ſuralis:*

d. in collo,

α. *iugularis externa,*

β. *colli media:*

ε. in capite,

α. *frontalis,*

β. *angularis,*

γ. *ranina.*

LXXI. Hvivs (lxiii) *enchireſis* peritorum ductu ſedulaque exercitatione diſcenda praecipue conſiſtit in rita venae inciſione et deligatione.

LXXII. Qvippe venae idoneae (lxx) partiumque ſubiacentium ſitu probe explorato *turgida illa redditur* vel ope vinculi membro

paullo ſupra locum incidendum, iniecti vel alius compreſſionis ad prohibendum ſanguinis per venas reditum aptae, vel etiam balnei fotusue tepidi, ſanguinem allicientis. Tunc vena turgida aut lanceola chirurgica, aut inſtrumento ſingulari notiſſimo, caute adque longitudinem canalis vel oblique *aperitur*. Sufficiente quantitate ſanguinis educta, cruore abſterſo, labia vulnuſculi in contactum rediguntur et ſpleniolo teguntur, quod faſcia idonea firmatur.

LXXIII. Venaesectio, minus caute inſtituta, varias *noxas* locales inferre poteſt, quarum praecipuae ſunt *ecchymoſis*, *nerui*, *tendinis*, *arteriae*, *vaſis lymphatici laeſio*.

Ecchymoſis.

LXXIV. Ecchymosis *eſt* ſanguinis venoſi in telam celluloſam effuſio.

LXXV. Cvivs *cauſſa* vel eſt ipſa venae praeciſio, vel inciſionis in tegumentis factae paruitas, vel membri, ex quo ſanguis detractus eſt, praematura aut vehemens exercitatio.

LXXVI. In *curatione* ad gradum mali eſt reſpiciendum. Etenim dum levior eſt ecchymoſis, cruoris ſub cute haerentis abſorptio vel ſolis Naturae viribus relinquitur, vel remedio externo diſcutiente adiuuatur. Grauius autem malum, ubi ſanguinis effuſi copia tumorem, irritatio, praeſertim in loco ſtimuli impatientiore, dolorem et inflammationem creat, inciſionem tempeſtiuam poſcit.

Nerui tendiniſue punctura.

LXXVII. Nervvm vel tendinem ſub venae pertuſione laeſum eſſe peculiaria monſtrant *ſigna*, quae partim anatomica partium cognitio, partim pathologia chirurgica ſuppeditat. Haec in alio loco exponemus.

LXXVIII. Cvi infortunio, quod numquam parui fieri debet, matura paranda eſt *medicina*, vel balſaminatiui inſtillatione et liberali vnguinum blandiſſimorum adplicatione, vel nerui adfecti praeciſione.

Arteriae pertuſio.

LXXIX. Qvae arteriae laeſionem produnt *ſigna* itidem ex anatomica et pathologica ſua

 notitia

notitia colliget Chirurgus. Vbi de aneuryſmate ſermo erit, haec ſigillatim indicabuntur.

LXXX. Necessariae huius *ſequelae* ſunt diuerſae: ſanguis nimirum arterioſus aut vehementius *profluit*, aut in textum celluloſum effuſus *tumorem* vel *illimitatum* vel *limitatam* format, totuplicem *Aneurysmatis ſpurii* ſpeciem conſtituens, aut tunicam arteriae interiorem per inciſas exteriores protrudit atque expandit, *Aneurysma mixtum* efficiens.

LXXXI. Liberum ſanguinis ex arteria *profluuium* contingit, quoties huius canalis vulnus vulneri cutis partiumque interpoſitarum adamuſſim reſpondet.

LXXXII. Quod (lxxxi) *curatur* certa tutaque proſilientis ſanguinis arterioſi cohibitione et perfecta vulnuſculi arteriae inflicti conglutinatione.

LXXXIII. Vtrumque. (lxxxii) obtinetur:

a. imminutione maſſae ſanguinis ad animi deliquium vſque:

b. compreſſione arteriae in loco laeſo vel ope ſpleniorum duriorum, magnitudine gradatim

aucto-

auctorum, apice ſingulae arteriae parti innitentium, faſcia longa, non nimis lata, caute conſtricta, accuratiſſime firmatorum, vel ope inſtrumentorum hunc in finem adaptatorum:

c. moderando impetum ſanguinis verſus partem laeſam, congrua arteriae illum aduehentis compreſſione:

d. quiete membri laeſi abſoluta, ne apparatus a puncto comprimendo dimoueatur:

e. praecautione ſymptomatum ab ipſa compreſſione metuendorum:

f. conſeruatione apparatus comprimentis vſque ad perfectam arteriae laeſae reſtitutionem.

LXXXIV. Sangvinis arterioſi in telam celluloſam *effuſio illimitata* (lxxx) contingit quando inciſio cutis vulneri in arteria facto eique non adeo exiguo haud accurate reſpondet.

LXXXV. Eivs *diagnoſin* ſuppeditant communia laeſae arteriae ſigna, tum maxime tumor circa inciſionem externam natus, initio mollis, depreſſus, vehementer deinde increſcens, inaequaliter ſeſe diffundens, dureſcens, dolens, vix aut parum pulſans.

LXXXVI. Formatvr huius mali (lxxxiv) *prognoſis* ex perſpecta conditione laeſionis et ex notis effectibus effuſi cruoris conſecutiuis.

LXXXVII. Ad *conditionem laeſionis* quod attinet, moles ſanguinis ex vulnerata arteria continuo flumine elabentis textumque celluloſum diſtendentis tamdiu augebitur, donec tegumenta cedere amplius nequeant, vel partes vicinae vlteriorem illius effuſionem impediant, vel coagulum in arteria laeſa natum huius vulnus obturet.

LXXXVIII. Accvmvlati in tela celluloſa cruoris *effectus conſecutiui* duplicis ſunt generis. Coaguli copia cutiſque reſiſtentia nata compreſſionem partium mollium inducunt, vnde circulus ſanguinis impeditus vel ſuppreſſus, caloris imminutio, exſtinctio cet. Sanguis in aliena loca effuſus putreſcit, vnde inflammatio, gangraena, ſphacelus.

LXXXIX. Notabilis cruoris arterioſi effuſio *praecauetur* tempeſtiua arteriae laeſae compreſſione.

XC. Mali iam praesentis *curatio* exigit:

a. certam vlterioris profluuii cohibitionem immediata arteriae laesae compressione vel ligatura praestandam:

b. sanguinis effusi ablationem, cute conuenienter incisa obtinendam:

c. symptomatum praesentium et insequentium curam.

d. vulneris consolidationem.

XCI. Altera, *limitata* nempe sanguinis arteriosi in telam cellulosam *effusio* (lxxx), tum etiam *Aneurysma mixtum* suo loco pertractabitur.

Lymphaticae venae laesio.

XCII Vascvli lymphatici laesionem sub venae sectione factam esse *cognoscitur*, si vulneris coalitio diuturno lymphae stillicidio impediatur.

XCIII. In *curanda* hac laesione deligatio, quae dicitur sicca, et compressio simplicissima et optima sunt auxilia.

Arteriotomia.

XCIV. Arteriotomia *est* incisio arteriae opportunae pro mittendo sanguine instituta.

XCV. Cvivs (xciv) *effectus* ſimiles ſunt iis, quos venae ſectio habet (lxv), quos tamen, ceteris paribus, gradu ſuperant.

XCVI. Arteriae ſanguinis miſſioni prae reliquis *opportunae* ſunt rami temporales, vtpote facile et certo comprimendi.

XCVII. In his, ob exiguum canalis lumen, ſectio transuerſa inſtituitur. Sanguine educto vulnus glomere ſolido, emplaſtri adhaeſiui ope firmando, comprimitur.

Scarificatio.

XCVIII. Scarificatio *eſt* crebra tegumentorum communium in loco idoneo inciſio, quae ad educendum vaſorum minorum ſanguinem vel laticem in telam celluloſam effuſum, vel lanceola chirurgica, vel peculiari inſtrumento, vel alio demum modo peragitur.

XCIX. Scarificatio ſatis copioſum ſanguinem educens communes cum venae ſectione habet *effectus* (lxv). Efficacius tamen ex vaſculis vicinis obſtructis ſanguinem deriuat quam iſta.

C. Quo

C. Qvo magis promoueatur ſanguinis effluxus, cutis, huic operationi ſubiicienda, fovetur aqua tepida: ſcarificatae cucurbitula plerumque imponitur, vnde egregie augetur vis deriuatoria (xcix).

CI. Idonei ad ſcarificationem *loci* in vniuerſum ſunt tegumenta communia, vbicumque ſatis mollia ſunt et ſana, aque vaſorum ſanguiferorum et neruorum decurſu immunia. Specialem loci opportunitatem determinat deriuationis efficaciſſimae probabilitas.

Sanguiſugium.

CII. Sangvisvgivm *eſt* eductio ſanguinis vel ex venis ſingularibus, vel ex vaſculis cutaneis, per ſuctionem hirudinum adplicatarum.

CIII. Eligantvr *hirudines* ex aquis puris deſumtae, colore ex flauo virideſcente, capite tenui et turbinato notatae. Immundam cutem vix et ne vix quidem adgrediuntur. Sanguine ſaturatae ſponte decidunt; ſin minus, adſperſo ſale coguntur.

CIV. De ſanguiſugii *effectibus* eadem fere valent, quae de ſarificatione (xcix) diximus.

Com-

Commodiſſimum certe, quid? quod vnicum eſt auxilium in variis adfectubus, qui localem ſanguinis miſſionem poſcunt, reliquos autem modos hactenus (LXII. XCIII. XCVIII.) recenſitos excludunt.

CV. HIRVDINVM adplicandarum *numerum* et *locum* petendum determinat euacuatio et deriuatio hoc auxilio praeſtanda.

Lactiſugium.

CVI. LACTISVGIVM *eſt* rita eductio lactis ex mamma muliebri.

CVII. QVAE (CVI) *in vſum vocatur* quoties lac vel propter denegatam lactationem infantis, vel propter depreſſam aut laeſam papillam, vel propter propriam ſpiſſitudinem debito modo profluere nequit, ex qua difficultate varia eaque grauiſſima mala oriri poſſunt.

Veſicatorium.

CVIII. VESICATORIVM *eſt* medicamentum ſingulae corporis parti externae adplicandum (II), peculiari acrimonia veſiculas in cute producens.

CIX.

CIX. Cvivs *materiem* ſuppeditant Cantharides in puluerem tritae, panis fermento vel emplaſtro idoneo ſuper alutam congruae magnitudinis extendendo exceptae.

CX. Medicamenti huius rite adplicati *effectum externum* (cviii) dictum praecedit et comitatur partis ab illo occupatae inflammatio. Veſiculis productis lympha ſeroue turgidis, leuatur irritatio, quae recrudeſcit vbi illae vel arte inciſae vel ſponte diſruptae contentum humorem effundunt ipſamque ſubiectam cutem denudatam relinquunt. Eidem corporis loco iterum iterumque adplicatum veſicatorium irritationem perpetuam reddit et vlceris artificialis ſpeciem creat.

CXI. Vnde facile perſpicitur *internus* eiusdem auxilii effectus. Quippe acrimoniae illius (xviii) ſtimulus validam excitat in ſolido viuo irritationem, ſanguinis maiorem adfluxum, lymphae ſeriue effuſionem.

CXII. Praeter hoſce veſicatorii effectus immediatos (cx. cxi) alii quoque *mediati* ſunt dicendi. Quo validior eſt irritatio, eo notabiliorem

liorem *ſymptomatum febrilium* ſyndromen adducit neruorum conſenſus, cum eadem euaneſcentem, recrudeſcentem. Deinde *alia irritatio*, praeter naturam, vt dicunt, oborta, veſicatorii adplicationi anterior, eamdem vel vicinam partem occupans, artificiali ſtimulo tollitur vel minuitur. At vero ſub ipſa huius auxilii effectu hactenus recenſito *viae* quoque *vrinariae* cantharidum acrimoniam experiuntur.

CXIII. Notandvm tamen dictorum (cx. cxi. cxii) effectuum, mediatorum ſaltem, gradum pro diuerſo corporis ſtatu, morbi genere et ingenio, partis veſicatorio occupatae ſitu, adplicatorum numero, adminiſtrationis modo, eſſe diuerſum.

CXIV. Ex dictis (cxi. cxii) patet multiplex et praeſtantiſſima huius auxilii *virtus deriuans, euacuans, ſedans, excitans* cet. Veſicatorii iugiter in eodem loco renouati vtilitas eadem eſt ac vlcerum arte factorum, mox exponendorum.

CXV. Corporis *partes* ad veſicatorii adplicationem idoneae pro varia huius auxilii indicatione

dicatione variant: sufficiat notasse, scopo deriuandi, euacuandi, sedandi, locum conuenire adfectionis sedi, quantum fieri potest, proximum.

CXVI. In vniuersum denique *cauendum* est, ne parti oedemate occupatae, vel in ipsa cute inflammatae, vel in putrescentiam pronae adplicetur vesicatorium, neque violenta epidermidis detractione crudelior et periculosa producatur irritatio. Praestat etiam, vbi diuturniore stimulo opus est, continua plurium vesicatoriorum serie, quam singulo identidem renouato, vti.

CXVII. Incommodos vel nociuos vesicatorii, ceteroquin recte indicati riteque administrati, effectus quod attinet, *febri* consensuali, cuius noxa laudatis (cxiv) virtutibus abunde compensatur, post sopitam irritationem localem vix et ne vix quidem superstiti, praeter communem morbi tractationem nulla parari solet medicina. Quid? quod dantur conditiones, quae augendam per vesicatoria cordis vasorumque actionem praeprimis indicant. *Viarum* autem *vrinariarum adfectioni* occurritur tum Camphora can-

tharidibus ipſis vel medicamentis internis addita, tum maxime potu demulcente copioſo.

CXVIII. Derivantem, ſedantem, excitantem veſicatoriorum virtutem minore gradu exſerunt alia adplicata externa, praecipue *Rubefacientia* et *Relaxantia.* Vtrumqne genus ſenſibili effectu euacuante caret: priora quidem, aucta efficacia veſiculas producere valent; tunc autem non amplius rubefacientia ſed veſicantia ſunt ſalutanda.

Errhinum.

CXIX. Errhinvm ſeu Ptarmicvm *eſt* medicamentum externum, quod naribus attractum notabilem pituitae copiam prolicit.

CXX. Cvivs *materies* maxime deſumitur ex vegetabilibus acribus in puluerem redactis.

CXXI. Praeter dictum (cxiu) *effectum externum* ſaepe ſternutationem quoque producere ſolet, nares et ſinus mucoſos efficacius expurgantem.

CXXII. Effectvs *interni* ſunt neruorum irritatio, canalium muciferorum depletio, humorum

rum adfluxus aque partibus vicinis deriuatio. Sternutatio corpus succutiendo non solum hos effectus auget, verum alias quoque excretiones adiuuat, genusque neruosum excitat.

CXXIII. VNDE facile perspicitur Errhini *virtus euacuans, deriuans, excitans*, in variis morbis, capitis praesertim, egregiam vtilitatem habens.

Sialogogum externum.

CXXIV. SIALOGOGVM externum *est* medicamentum externum, quod manducatione vel alio modo ad organa salinalia adplicatum maiorem saliuae excretionem ciet.

CXXV. VEGETABILIA acriora, vel eorum decoctum, vel talis decocti vapor, *materiem* huius medicamenti constituunt.

CXXVI. SIALOGOGVM quoad *effectus* atque *vtilitatem* cum Errhino, sternutamentum non prouocante, multam habet analogiam.

Catheterismus.

CXXVII. CATHETERISMVS *est* operatio (11) qua lotium in vesica vrinaria retentum ope

cannulae in hanc partem rite immiſſae educitur; in Iſchuriae Chirurgia vberius explicanda.

Fonticulus.

CXXVIII. Fonticvlvs *eſt* vlcus ſimplex tegumentis communibus in loco opportuno arte inductum.

CXXIX. Idonevs ad fonticulum excitandum *locus* in vniuerſum datur vbicumque cutis muſculorum maiorum interſtitia tegit, multo panniculo adipoſo repleta, et notabilium neruorum vaſorumque decurſu libera. Interiori cruris aut brachii parti hoc vlcus communiter induci ſolet. Specialem vero loci opportunitatem determinat derivationis efficaciſſimae probabilitas.

CXXX. Fonticvlvs *inducitur* cutis inciſione ad recipiendum piſum ſufficiente, vel etiam cauterio, medicamento cauſtico, veſicatorio.

CXXXI. Incisionem cutis dolorificam et cruentam ſequitur marginum inflammatio, tumor, ſuppuratio denique, piſo alioue corpore conglobato immiſſo et irritante promouenda.

CXXXII. Eschara cauterio, cauſtico, veſicatorio tegumentis ad conuenientem magnitudinem et profunditatem caute inuſta, fouetur remedio pingui emolliente digeſtiuo, donec reſoluta vlcus relinquat, dicto (cxxxi) irritamento alendum.

CXXXIII. Fonticvli *recens* excitati *effectus externi* ex dictis (cxxxi, cxxxii) liquent: *interni* parum differunt ab iis, quos veſicatorium producit (cxi, cxii).

CXXXIV. Vlceris (cxxxi. cxxxii) producti et rite ſe habentis *effectus externus* praecipuus eſt ſuppuratio, adeoque iugis et moderata humoris purulenti euacuatio; *interni* autem ſunt modica irritatio, et lymphae ſeriue ex partibus vicinis deriuatio: fortaſſe etiam pus alibi reſorptum in tale vlcus iterum deponitur.

CXXXV. Vnde apparet, fonticulum quoad *virtutem*, euacuantem praecipue ac deriuantem, cum veſicatorio, renouato ſaltem, egregie conuenire, illumque vix minoris in diuerſis morbis eſſe vtilitatis.

Setaceum.

CXXXVI. Setacevm *eſt* vlcus ſinuoſum, bina habens orificia, in idonea tegumentorum communium parte ope ferri filum transuehentis productum.

CXXXVII. Consvetvdine magis quam ratione duce ſola fere nucha tot aliis ad alendam hanc vlceris artificialis ſpeciem idoneis *locis* praeferri ſolet.

CXXXVIII. Setacevm commodiſſime *adminiſtratur*, acu maiore eum in finem fabrefacta acuta vel candente, cui iniectus eſt funiculus ex filis lineis, aut goſſipinis, aut bombycinis contortis paratus, eleuatam cutim perfodiendo, funiculumque in vulnere relinquendo et ſingulis diebus per idem promouendo.

CXXXIX. Vlceris huius, cum recens excitati tum adulti *effectus* illis, qui ex fonticulo (cxxxi. cxxxii) fluunt, ſatis ſunt ſimiles; ob maiorem tamen vlcerationis ambitum et valde dolorificam irritationem, quotidie renouatam, iſtos gradu ſuperant.

On-

Onchotomia.

CXL. Onchotomia *eſt* operatio (ii), qua pus in abſceſſu vel proprio quodam cauo incluſus inciſione facta educitur, in abſceſſuum chirurgia vberius pertractanda.

Clysma.

CXLI. Clysma ſeu Enema *eſt* medicamentum fluidum inteſtinis ope ſiphonis ano immiſſi iniiciendum.

CXLII. Qvod quidem auxilii externi genus (cxli.) quoad materiem, effectusque et vſum multiplex eſt atque diuerſiſſimum: dantur clysmata *euacuantia*, *relaxantia*, *adſtringentia*, *expandentia*, *ſedantia*, *refrigerantia*, *excitantia*, *nutrientia*, *medicamentum ori haud ingerendum vehentia*: hoc loco eam tantum ſpeciem attingimus quae euacuandarum primarum viarum cauſſa adhibetur.

CXLIII Clysmatis euacuantis (cxlii) materiam praecipue conſtituunt aqua, lac, decocta aut infuſa emollientia, ſtimulantia, tepida oleo, ſaccharo, melle, ſale aliisque remediis mixta.

Specialem delectum, quantitatem, adplicandi rationem cet. indicationes particulares determinant.

CXLIV. Cuius (CXLIII) *effectus externus* est faecum intestinalium variarumque materierum ipsis admistarum, eductio. *Internus* ad dictum scopum faciens triplex est: excrementitii dilutio, emollitio, detersio; virium expultricium excitatio; humorum intestinalium copiosior secretio. His accedunt varii alii effectus, v. c. viscerum abdominalium fotus cet. Ex omnibus istis egregia iterum profluunt beneficia, humorum reuulsio, deriuatio, orgasmi, spasmi, doloris cet. mitigatio, et alia bene multa. Vnde summa huius remedii (CXLIII) in plurimis morbis *praestantia.*

Iniectio.

CXLV. Iniectio *est* medicamenti liquidi in cauum naturale vel praeternaturale immissio, ope syringis aut alius instrumenti praestanda.

CXLVI. Quae etiam quoad materiem, effectus et vsus multiplex est; ad euacuantia autem

tem auxilia pertinet, quatenus coagulum ſanguinis, mucum, lac, pus, aliaque de quibus ſuo loco dicetur, educit.

CXLVII. Ab iniectione in eo tantum differt *Gargarisma*, medicamentum perinde liquidum adque emungendas vel detergendas fauces vſitatiſſimum, quod hoc non ſemper inſtrumenti, ſed ſolius ſaepe linguae miniſterio ad dictas partes deferatur et emiſſo paullatim ſpiritu moueatur.

Paracentheſis.

CXLVIII. Paracenthesis *eſt* caui naturalis aut praeternaturalis perforatio, quae ſingulari inſtrumento vel cultello liquidi morboſe collecti inde educendi cauſſa inſtituitur, alio loco conuenientius exponenda.

Inciſio.

CLIX. Incisio denique ad auxilia euacuantia omnino refertur, quatenus nempe varia fluida praeter naturam in corpore nata vel ei foris inducta in variis morbis euacuat. Quae omnia in ſequentibus vberius declarabuntur.


CL. Hvmorum vniverſim ſpectatorum *quantitas defectu* peccans (lviii) curationem externam non admittit, niſi illa auxilia, quae ſolidorum robur augendo chyli elaborationem adiuant, hac trahere velimus.

CAPVT II.
QVALITAS FLVIDORVM VITIATA.

CLI.

Qvalitas totius humorum maſſae multiplici modo laedi poteſt: quae tamen vitia vel ad *ſpiſſitudinem* aut *tenuitatem*, vel ad *acrimoniam* morboſam potiſſimum referuntur.

CLII. Ad quorum (cli) *curationem* adprime vtilia ſunt varia auxilia chirurgica, partim iam recenſita, partim in ſequentibus proponenda, quibus nimirum vel ſolida ad fluidorum correctionem apta redduntur, vel vitiati humores minuuntur, vel iisdem antidota admiſcentur.



PARS

PARS ALTERA
MORBORUM LOCALIVM CHIRVRGIA.

CLIII.

Morbi locales (v) et in *fluidis* et in *solidis* occurrunt. Quum vero nullum particularis humoris vitium non ſupponat praeſentem ſimul ſolidorum elaborantium vel continentium aberrationem a ſtatu ſano (xi), qua cognita et curata illud facile cognoſcitur et curatur, miſſis localibus fluidorum morbis ad eos, qui in ſolidis maxime ſedes ſuas habent, procedimus. Quorum ideam et diuiſionem generalem in praecedentibus (xii. xiii) dedimus.

SECTIO I.
MORBI AB IRRITAMENTO.

CLIV.

Varii ſunt ſtimuli, qui corpori humano vel foris admoti, vel intro delati, vel interne prognati, noxam eidem inferre valent.

CLV.

CLV. Mvltiplices aeque ac diuerſiſſimi ſunt ſtimuli qui vel corpori humano foris admoti, vel intro delati, vel in ipſa machina menteue prognati, varias irritando cieunt turbas inferuntque noxas.

CLVI. Cavssarvm illarum morbificarum (cxxxiv) diuerſa natura ex effectuum contemplatione ſatis commode cognoſcitur.

CLVII. Omnes autem corporis adfectiones ab irritamento oriundae in quatuor praecipue claſſes redigi poſſunt: *dolores*, *ſpasmos*, *inflammationes*, *febres*.

CAPVT I.

DOLOR EIVSQVE REMEDIA.

CLVIII.

Dolor *eſt* ingrata quaeuis perceptio, quae ex impreſſione in partem ſentientem facta naſcitur.

CLIX. Qvvm omnes partes facultate ſentiendi praeditae hanc a ſolis neruis habeant, ſequitur doloris *originem* in neruo quodam adfecto quaerendam eſſe.

CLX.

CLX. Qvvm vero nulla pars ſentiens dolorem excludat; quum in diuerſis hominibus inque eodem homine ſub diuerſis conditionibus diuerſus ſit ſenſibilitatis neruorum gradus; quum porro impreſſio ingratam perceptionem creans, partis denique hanc impreſſionem patientis fabrica et habitus, qua naturalis qua praeternaturalis, multis modis variare poſſit; patet ipſam ſenſationem ingratam *ſede*, *duratione*, *vehementia*, *indole* eſſe diuerſiſſimam.

CLXI. Ad *ſedem* doloris quod ſpectat, vel ſingulam quamdam corporis particulam vel plures, nunc minorem, nunc maiorem plagam occupat: vel in ſola parte adfecta haeret, ei veluti infixus, vel in vicinas excurrit, vel ſedes omnino mutat, vagus dictus. Ratione *vehementiae* interdum intolerabilis eſt cruciatus, interdum pruritus: vtplurimum inter haec duo extrema conſiſtit, modo grauior, modo leuior. Quoad *durationem* vel diuturnus eſt vel fugax: vel continuus vel remittens vel plane intermittens: poſtremus iterum vel ſtatis vel incertis temporibus recurrit. *Indole* maxime variat, nunc punctionis, ſciſſionis dilacerationis, roſionis,

onis, distensionis, vstionis, nunc pressionis, constrictionis, formicationis, pulsationis, algoris, stuporis, anxietatis, nauseae sensum referens.

CLXII. Doloris cuiuscumque *principium* est stimulus, tali impressione neruum afficiens, vt spirituum transitus aut impediatur aut praeceps inordinatusue fiat.

CLXIII. Qvae talem (clii) stimulum efficiunt *caussae* vel manifeste, vel abscondita magis vi agunt.

CLXIV. Cavssae *manifestae* sunt laesiones externae, aut *neruorum canaliculos angustantes*, siue complanatione hoc fiat, siue constrictione, siue distensione; aut *peculiarem motum in iis producentes*, vt dissolutiones, acria varia, corpora aliena, ignis, frigus, et ipsa neruorum denudatio aerisque contactus.

CLXV. Ad magis *absconditas* stimuli caussas referenda sunt quaecumque parti iusto maiorem *extensionem* inducunt, vt impletio immodica, auctus humorum impetus versus aliquam partem, impeditus circulantium transitus vel indebita

bita eorumdem congeſtio; quaecumque validiorem *conſtrictionem* partium efficiunt, vt ſpasmus et acria vel ingeſta vel in corpore nata. Vtrumque harum cauſſarum abſconditarum genus neruis vel anguſtationem vel peculiarem ſenſum (CLXIV) inducit.

CLXVI. Ex allatis (CLII. CLIII) patet dolorem ſaepe eſſe morbum *idiopathicum*, id eſt a nulla alia adfectione pendentem, frequentiſſime tamen *ſymptomaticum*, alius nempe morbi effectum et comitem.

CLXVII. DOLORIS *effectus* pro diuerſa ipſius ſenſationis ingratae ſede, vehementia, duratione ac indole (CXLI) et diverſa ſtimuli (CLV) cauſſarumue hunc efficientium (CLIV. CLV) natura variat: notabilem atque permanentem dolorem concomitari ſolent vigiliae, anorexia, febris, debilitas, macies, ſyncope et alia.

CLXVIII. EA doloris *curatio*, quam Chirurgia praeſtat, in triplici conſiſtit momento: vel enim cauſſa dolorem inducens tollitur, vel etiam neruus adfectus ſenſu priuatur, vel ipſa ſenſatio mitigatur.

CLXIX. Avxilia externa *caufam doloris tollentia*, pro varia eiusdem natura funt varia: remouetur e. g. corpus alienum irritans diuerfis euacuantibus aut enchirefibus, quae fuis locis exponentur.

CLXX. Nervvs adfectus *fenfu priuatur* praecifione, disruptione, cauterio.

CLXXI. Nervi *praecifio* indicatur vbi ille iam ex parte eft folutus, vel non folum dolorem, fed alias quoque generis neruofi turbas, infra dicendas, excitat.

CLXXII. Rarivs inftituitur *disruptio*, quippe quae in fola dentis dolentis euulfione locum habere videtur.

CLXXIII. Ad *cauterium* denique quod attinet, illo hic vtendum eft, quod actuale dicitur, fiue ferrum candens parti dolenti admoueatur, quemadmodum in dentibus cariofis fieri folet, fiue lanugo quaedam parti dolenti haud inflammatae impofita comburatur. Pofteriori methodo non folum nerui adfecti deftruuntur, verum fortior quoque, fugax tamen, fenfatio inducitur, inque

inque partibus mollibus vlcus artificiale, ad deriuandam acrimoniam perquam idoneum, creatur.

CLXXIV. Doloris *mitigationem* Chirurgia praeſtat neruos denudatos nouo tegumento muniendo; aëris vel alius corporis ſtimulantis acceſſum praepediendo; irritantia, quae prorſus auferri nequeunt, debilitando; tenſionem dolorificam relaxatione, compreſſione, ſuſpenſione minuendo; humores, vel mole vel acritate laedentes, varia euacuatione educendo, reuellendo, deriuando; fortiore ſenſu alibi excitato morboſum infringendo: narcoticis inſenſilitatem temporariam efficiendo. Poſtremum vero auxilii genus numquam niſi vrgente neceſſitate, nec ſine ſumma cautela adhibeatur, ſiquidem ſaepe ſub fallaci leuaminis ſpecie cauſſam mali auget.

CAPVT II.

SPASMVS ET EIVS THERAPIA.

CLXXV.

Spasmvs in vniuerſum *eſt* ſubitanea et violenta quacuis partis vera vi motrice praeditae actio, voluntati vel Naturae normae non reſpondens.

CLXXVI. Qvvm nulla detur pars, quae veram vim motricem (clxxv), irritabilem puta, a ſimplici contractilitate elatereue diſtinguendam, poſſideat, niſi fibris muſcularibus ſit inſtructa, liquet ſpasmum, quoad *ſubiectum*, eſſe morbum fibrae muſcularis.

CLXXVII. Tam arctus autem conſenſus intercedit ſyſtemati motorio ac ſenſitiuo, tamque pauca occurrunt ſpasmorum exempla, quae non praecedat euidens quaedam impreſſio in organum ſentiens facta, vt facile adpareat, ſpasmi *originem* proxime a fibra muſculari ad genus neruoſum eſſe referendam. Vnde quoque liquet, ſpasmum minus ſimplicem eſſe morbum quam dolorem.

CLXXVIII. Qvvm vero fibras muſculares non ſolum euidentioribus motus organis, a quibus illae nomen habent, verum etiam innumeris aliis partibus, quas alterne contrahi et relaxari poſſe oportebat, largitus ſit Creator: quum ipſius vis motricis ſeu irritabilitatis gradus in ſingulis hominibus pro diverſa aetate, ſexu, vitae genere, ceteris, inque ipſis organis motoriis

riis mulropere variet: quum partes iſtam fibrae muſcularis adfectionem patientes ſtructura reliquisque dotibus ſint diuerſiſſimae: quum nihil denique magis differat quam impreſſiones, quibus enormes iſti motus cientur; patet ſpasmorum perinde, ac dolorum, ampliſſimum eſſe imperium ſummamque, *ſedis*, *durationis*, *vehementiae*, *indolis* reſpectu, diuerſitatem.

CLXXIX. Et primo quidem *ſedem* ſpasmus nunc in ſingula quadam parte muſculari habet, nunc in pluribus: nunc exteriores voluntatique ſubiectas, nunc penitiores et magis vitales occupat: modo in pauculis cuiuspiam fibris micat, modo in totos ſaeuit lacertos: neque ſemper in prima ſede manet, ſed per alias ſaepe et alias vagatur, fulminis celeritatem interdum aemulans. Perinde varia eſt eius *vehementia:* poteſt leuiſſima palpitatione ludere; poteſt in horrendas et funeſtas contractiones, totum corpus vel in ſtipitem inflexibilem mutantes, vel oſſifrago rigore concutientes, excurrere; poteſt in quoto quoque gradu intermedio ſubſiſtere. Quoad *durationem* eadem occurrit diuerſitas: datur

ſpasmus fugax, pertinax, acutus, chronicus, quin imo habitualis, S. Viti nomine inſignitus: datur continuus, remittens, intermittens, periodicus, erraticus. Ratione *indolis* duplex quidem at maxime diverſum notatur ſpasmi genus; ſcilicet violenta illa contractio vel permanet, ipſam partem adfectam immobilem reddens, vel mox ceſſat et iterum iterumque recurrit, partem alterno motu ſuccutiens. In priore caſu ſpasmus dici ſolet *tonicus*, in altero *clonicus* ſeu conuulſiuus. Vtrumuis genus pro diuerſa ſedis, quam occupat, extenſione diuidi poteſt in *partiales* et *vniuerſales*.

CLXXX. Omnis ſpasmi *principium* eſt enorme fibrarum muſcularium irritamentum. Hoc nihil aliud eſſe videtur quam ſpirituum, vim irritabilem in actum deducentium, intempeſtiuus vel iuſto fortior impetus, cuius tamen effectus tanto maior erit, quanto magis vigebit inſita vis fibrae muſcularis. Illum autem impetum determinari a perceptione, in ſenſorio communi vel immediate vel mediante neruo excitata, haud improbabile eſt.

CLXXXI.

CLXXXI. Talem perceptionem (clxxx) creantes *cauſſae* ſunt impreſſiones variae, vel a *corporis* partibus, vel ab ipſa *mente* repetendae.

CLXXXII. Ad impreſſiones *corporis* partibus attribuendas pertinet quidquid vel premendo, conſtringendo, diſtendendo, imperfecte disſoluendo, aut alia demum ratione irritando neruum, ganglion, medullam encephali ſpinalemue *ſtimulat*, vti omnes doloris cauſſae (clxiv. clxv) dictae, vel enormem *ſpirituum* iacturam, non ſatis cito reparabilem inducit, vti haemorrhagiae, venus immodica, et alia quaeuis vehementer debilitantia.

CLXXXIII. Qvae a *mente* fiunt, impreſſiones vel ad eius nimiam intentionem vel varias adfectiones referri poſſunt, et perinde ac corporeae, ſenſorium commune vel *ſtimulare* vel ſpiritibus *exhaurire* videntur.

CLXXXIV. Ex dictis (clxxxii. clxxxiii) patet ſpasmum non ſecus ac dolorem (clxii) vel eſſe *idiopathicum* vel *ſymptomaticum*.

CLXXXV. Liqvet etiam, quomodo ſpasmus *differat* ab aliis contracturis morboſis, e. g. ex ſimplici antagonismi defectu, ex fabricae muſcularis degeneratione, ex effuſo humore oriundis, quae neque ab irritamento cientur neque ſubito inſurgunt.

CLXXXVI. Spasmorvm *effectus* pro ipſorum cauſarumque ſuarum et aliarum conditionum diuerſitate variant. Interdum quidem ſunt adeo leues fugacesque, vt iniuriam inferre non valeant: quid? quod nonnumquam egregie iuuant, inimicum eliminando; vtplurimum tamen multimodam inducunt noxam, praecipue turbas in circulo ſauguinis, febres, inflammationes, fluxus, ſenſus motusque debilitatem, deprauationem, exſtinctionem vel partialem vel vniuerſalem.

CLXXXVII. Chirvrgica ſpasmi *curatio* in vniuerſum verſatur maxime in remouendis vel infringendis mali cauſſis, adeoque pro harum diuerſitate eſt varia eique fere ſimilis, quae tollendis doloris irritamentis (clxix) conuenit.

CLXXXVIII.

CLXXXVIII. Spasmvs *tonicus*, variis auxiliis generalioribus dictis, euacuantibus potissimum, praemissis, liberaliore opii, etiam per iniectiones ingesti, vsu debellatur. Ex laesione singularis nerui oriundum Balsamo peruuiano fugatum esse legimus. *Partialis* etiam cautae, lentae, continuae musculi contracti extensioni, variis relaxantibus, vnctione inprimis oleosa, adiutae, tum etiam repetito nisui contractiuo antagonistae, frictione stimulantibusque mitioribus excitato, cedere solet. In desperato casu musculum adfectum secare oportuit; dantur qui ab opio, denudatae carni adplicato, pertinacioris spasmi resolutionem sperant. In *vniuersali* balnea tepida saepius repetita maximopere profuerunt: hydrargyri inunctionem etiam laudari videmus.

CLXXXIX. In spasmis *conuulsiuis* praeter illam, quam variae caussae requirunt, curationem nulla alia singularem habet vtilitatem. Duram tamen necessitatem amputandi nonnumquam adduxerunt illae.

CAPVT III.

INFLAMMATIO EIVSQVE MEDELA.

CXC.

Inflammationem ſeu Phlogoſin in vniuerſum *adeſſe* dicitur, quoties pars organica dolore fixo continuo, tumore, rubore, calore adficitur, functione ſua ſimul laeſa et febri, conſenſuali dicta, in reliquo corpore excitata. Vnde eam magis compoſitam eſſe adfectionem, quam ſpasmum, in prono eſt.

CXCI. Commvnia illa ſymptomata (cxc) eo conſtantiora et notabiliora inueniuntur, quo verioris nominis eſt inflammatio. Haec enim vel genuina eſt, *Phlegmone* dicta, vel aequiuoca, quam *Eryſipelas* vocant, vel ſpuria. Singula ſeparatim exponere, quam generali pertractatione diuerſa confundere praeſtat.

Phlegmone.

CXCII. Phlegmone ceu veriſſimum inflammationis genus (cxci) *cognoſcitur* dolore partis adfectae vehementiore; tumore magis expanſo,

ſplen-

ſplendente duroque et elaſtico; rubore profundiore; pulſatione ſenſibiliore, arteriarum in reliquo corpore micationi reſpondente; calore vrente; functione in maiore gradu laeſa; febre conſenſuali fortiore, continuae acutae typum prae ſe ferente, pulſu duro plerumque ſtipata.

CXCIII. Recensita tamen (cxcii) Phlegmones ſigna non adeo perpetua ſunt, quin partis adfectae ſitus, ſtructura et reliquae dotes, turbae denique ex laeſa eius functione oriundae nonnulla occultare, alia mutare valeant. Sic in viſceribus aliisue partibus reconditis inflammatis neque tumor, neque rubor, neque pulſatio immediatam oculi digitiue explorationem admittit, tametſi et analogia de iis dubitare vetet et varia phoenomena ex iisdem repetenda hanc ſatis confirment. In nonnullis organis multum ſanguinem transmittentibus, ob textum laxiorem vel neruis minus praeditum, inflammatio anxietatem potius quam acutum dolorem creat, neque pulſui duritiem inducit. Qui tanto debilior eſſe ſolet, quanto magis phlegmone intercipit liberum ſanguinis circulum. Dantur verae phlogoſes, propter occultam ſedem minoremque

eius dignitatem vix cognoſcendae, antequam ſuppuraverint. Quo ſenſibilius autem, hinc ſtimuli impatientius eſt viſcus inflammatum, eo vehementius ſaepe adficitur ſenſorium commune, ita vt non raro plane exhauſtum vel ſaltem oppreſſum videatur, vnde pulſus exilis febrisque variis ſymptomatibus, quae ab inflammatione alieniſſima videntur incautis, ſtipata.

CXCIV. Omnis verae inflammationis *principium* conſiſtere videtur in irritamento ſyſtematis ſanguiferi, arteriarum potiſſimum, praeternaturalem harum dilatationem inducente. Haec theoria ſane minoribus premitur difficultatibus facilioremque et probabiliorem explicationem omnium inflammationis phoenomenorum ſuppeditat, quam illa quae vel Obſtructioni vel Extrauaſationi innititur.

CXCV. Qvae dictam (cxciv) dilatationem efficiunt *cauſſae* ſunt varii ſtimuli, iis, quibus dolores (clxiv. clxv) ſpasmique (clxxxii) cientur, ſatis analogi. Sic ſimpliciſſimum quodque irritans, acre mechanicum, chemicum, lux, aër externus, calor, frigus, in extremam corporis ſuper-

ſuperficiem agens; ſic multiplex ſolidum, humidum, per vias aëreas, alimentares, inhalatorias, excretorias intro receptum, vel intus praeter naturam enatum aut retentum, aut translatum; ſic denique tenſio, compreſſio, conſtrictio, continui ſolutio quaecumque; ſic vena obſtructa, tumida, irritata, inflammationis cauſſa fieri poteſt. Neque tamen horum quidquam ideo creare valet phlogoſin, quod vaſa ſanguifera obſtruat; tumores et alia mala ex tali circuli obſtaculo oriri queunt, vera autem inflammatio numquam niſi illud ſimul irritet arterias. Vnde patet varios corporis ſani motus paullo citatiores aut difficiliores, deinde varios animi adfectus et corporis morbos, febriles imprimis, horumque ſolutiones imperfectas, quinimo medicationes, ad inflammationis cauſſas, remotiores licet, referri poſſe; ſicut ex eodem fonte et dolores et ſpasmos profluere videmus.

CXCVI. Notandum eſt, ſimilem vaſorum irritationem vix et ne vix quidem fieri poſſe absque neruorum miniſterio. Hinc ſolo nonnumquam conſenſu inducitur inflammatio, e. g. ab acri neruum remotioris partis irritante.

De-

Deinde multo plura vaſa adficiuntur quam quae ſtimulum experiri potuerunt. Propter eamdem conſenſionem arteriarum adfectio venas forte in ſimilem exceſſum ducit et vice verſa.

CXCVII. Qvaliscvmqve vero ſit ſtimulus, ſyſtema ſanguiferum irritans, alium certe in corde, alium in arteriis habet effectum: illud enim in contractionem, has vero in relaxationem deducit. Poſtremum abunde probant experimenta indubia; certorum animi pathematum, frictionis, lucis, ignis, gelu, aliusue irritamenti, oculum e. g. vexantis, effectus; haemorrhagia ab adplicato vellicante neque tamen cauſtico oriunda; erectio penis ex aucto arteriolarum hiatu facile deducenda et alia bene multa.

CXCVIII. Qvo diutius aut fortius in arteriam agit ſtimulus, eo magis dilatatur iſta, eoque maiorem recipit ſanguinis quantitatem, quem ideo verſus hanc partem, tanquam minus reſiſtentem, vberius adfluere neceſſe eſt. Neque tamen ideo obſtructio ſanguinisue ſtagnatio datur in arteriis ſic adfectis: hunc certe propulſant atque transmittunt in venas reſpondentes,

licet

licet non ſatis expedite, nec ſemper integra quantitate accepta. Quippe ſub aucta earum dilatatione varia ſimul colatoria magis patula fiunt craſſiorique quodque fluido tranſitum concedunt, vnde rubri cruoris globuli extra ſua vaſa vagantur, nunc celluloſam telam turgidam, nunc profluuia ſanguinolenta reddentes. Simili loci errore ductus latex ſeroſus ex cute acribus vellicata prodit, epidermidemque in bullas eleuat. Quae omnia fieri nequeunt, quin nerui multam preſſionem, tenſionem cet. patiantur. Facile inde explicatur purpurea partis adfectae ſuffuſio, tumor renitens, calor, pulſatio et dolor. Intima deinde cordis atque vaſorum conſenſio non ſinit haec ſenſibili adfici irritamento, quin illud iugiter fortius micet auctaque, pro ſtimuli gradu et indole, velocitate circumagat ſanguinem, nullo tamen impetu, velut creditum eſt, obſtructa a tergo pulſante. Vnde prono alueo fluit febris conſenſualis, pulſusque fortis et in arteriis non adfectis, adeoque magis reſiſtentibus, duri origo.

CXCIX. Verioris inflammationis *ſedes* duplex eſt. *Primariam* ſiſtunt arteriolae vel venula-

lae rubrae dictae, vel vaſcula his minora, vi inflammationis ad globulorum rubrorum receptionem coacta. Quatenus poſterius genus ſimul occupat inflammatio, *cum errore loci* dicitur. *Secundaria* eſt tela celluloſa, vtpote ſanguinem per relaxata oſtia diductosue parietes vaſorum irritatorum elabentem recipiens (CXCIX). In vtraque habitare ſolet Phlegmone.

CC. Genvinae inflammationis *effectus* experientia probatus eſt imminuta ſanguinis concreſcibilitas. Cuius documentum eſt *cruſta inflammatoria* dicta, ſanguinis, ſub ſtatu vere phlogiſtico e vena miſſi, inſulam obtegens, quippe quae ex lympha coagulabili valde attenuata, adeoque lentius inſpiſſata et propter citiorem globulorum rubrorum deſcenſum absque horum connubio concreta, formatur, neque indiuiduus neque proprius ceteroquin inflammationis comes, proque mutata vaſorum energia nunc aucta nunc imminuta.

CCI. Phlegmones *terminationem* quod ſpectat, optabilem ſanationem ſola *reſolutio* praeſtat. Niſi reſoluatur inflammatio vera, in alium morbum

bum mutatur: pars adfecta nimirum vel *abscedit* vel lente *induratur*, vel *Gangraenam* ſubit.

CCII. Resolvtio inflammationis in vniuerſum verſatur in ſtimulo, ceu cauſſa morbi, tollendo, inque illius effectibus, malum ſuſtentantibus, e. g. ſanguinis effuſione, febre conſenſuali, remouendis.

CCIII. Ablatio ſtimuli, interni praeſertim in nonnullis inflammationibus certorum *ſpecificorum* virtute efficitur. Sic Mercurius phlogoſeos venereae cauſſam debellat, Oleum oliuarum atque Sales vrinoſi, Viperarum, Senega ſerpentis crotalophori morſum eneruat. Quum vero vnicuique irritamento inflammatorio interno ſuum antidotum nedum ſit inuentum, in vniuerſum ad ſanguinis miſſionem variaque auxilia loco adfecto admouenda recurrit Chirurgia, quibus non ſolum cauſſa ſed etiam effectus irritationis, ex parte ſaltem, tolluntur.

CCIV. Qvantvm diuerſae *euacuationes ſanguinis* hoc ſcopo (cciii) inſtitutae iuuent facile liquet ex effectibus venaeſectionis (lxxvi). arteriotomiae (lxxxv), ſcarificationis(xcix), hirudinum-

dinumque (CIII) dictis, cum morbi causa, symptomatibus et curatione (CXC - CCIII) comparatis. Specialior phlegmones pertractatio monstrat, quaenam in quolibet eius genere maxime conueniat. In vniuersum tamen notandum venit, omnem sanguinis eductionem, quantum fieri potest, prope locum adfectum esse instituendam, singularum autem repetitionem a symptomatibus vehementibus, pulsu duro fortique permanentibus, viribus aegroti, corporis habitu morbique indole simul eam exinanitionem ferentibus, minus tuto autem a crusta inflammatoria (CC) indicari, in grauiore denique phlegmone, quae extremum corpus occupat neque reliquis huiusmodi auxiliis cedit, profundiores et largiores scarificationes, vbi loci opportunitas has fieri sinit, egregie conducere.

CCV. Inter medicamenta *externa* loco inflammato adplicanda praecipue laudantur sic dicta *discutientia*. Primum in hac classe locum vsus consecrauit Camphorae, tamquam specifica virtute praeditae. Crocus porro, Millefolium, Chamomilla, Sambucus, Vlmaria, Ruta, Absynthium et alia, siue irritationem compescentia

siue

siue vasis expansis roboris quid reddentia, satis idoneam suppeditant materiem variorum epithematum, tam siccorum quam humidorum. Remedia *adstringentia*, inter quae saturninis plurimum tribuitur, vasa coarctando iuuare possunt, neque infrequenter pulcros praestant effectus, quoties nimirum inflammatio potius nimiae vasorum sensilitati vel debilitati, quam vehementi pertinaciue stimulo est tribuenda. Promiscuus tamen horum vsus minus tutus merito censetur, quum irritamentum saepe repellant aut in parte inflammata scirrhum relinquant. Neque omnem noxae suspicionem effugiunt remedia *relaxantia*, emollientia dicta, aquosa, mucilaginosa, vnguinosa, calida maxime, in primo inflammationis stadio adplicata, quippe quae dilatationem vasorum augent, horumque robur adeo frangunt, vt praesens malum resolutionem vix admittat, vel vtcunque superatum facile deinde recurrat. Maximopere autem prosunt *Vesicantia*, prope phlogoseos sedem cuti admota, vtpote irritamentum artificiale (xc) creantia, quo humores a loco adfecto reuocantur, huiusque sensatio dolorifica, inflammationem alens, infringitur.

CCVI. Symptomata (cxcii) euanefcentia, cutis corrugata, excretiones reftitutae, euacuatio critica *factam* phlegmones *refolutionem* denotant.

CCVII. Qua (ccvi) non fuccedente, cauffa morbi permanente, magis magisque crefcet vaforum dilatatio, inque minores eorum feries tranfiens tumorem, pulfationem cet. mire augebit, donec vel fuppuratio fuperueniat vel gangraena.

CCVIII. Adest *fuppuratio* quoties in parte inflammationem paffa liquidum variae indolis elaboratur, quod in vniuerfum *pus* dicere folent.

CCIX. Hunc tranfitum (ccviii) *indicant* horrores intercurrentes, doloris, pulfationis, febris confenfualis imminutio vel faltem immutatio, in phlegmone vltra feptimum diem vigente, vna cum aliis nafcentis apoftematis fignis fuo loco proponendis.

CCX. Ad *puris formationem* in loco inflammato varia confpirare videntur: ex relaxatis oftiis, vel diductis ruptisue parietibus vaforum elabi-

elabitur lympha vel ſerum, praecipua puris coquendi materies: alteram ſiſtit ipſa tela celluloſa: vtriusque colliquationem praeſtat motus fermentatiuus, vaſorum actione eiusque effectibus adiutus.

CCXI. Qvamqvam illas (ccx) erroneas vias ipſe cruor legere poſſit, ſicut dictus (cxcviii. cxcix) dilatationis vaſorum effectus, in ophthalmiae exemplo viſibilis, lacrymatio cruenta in eodem adfectu haud infrequens, grumi ſanguinis ex apoſtemente maiore cum pure prodeuntes, docent, veri tamen eſt ſimilius, lympham ſerumue propriam puris dare materiem. Haec enim fluida ſub inflammatione grauiore maximam effuſorum partem conſtituere probat facilis et vberrima eorundem in corpore tum ſano, tum morboſo, exhalatio et tranſſudatio: probat quoque rariſſima, ſi vnquam contingit, cruoris ſinceri in genuinum pus transmutatio. Lymphatica vero, an mucoſa ſanguinis pars ad elaborandum pus ſit magis idonea, nedum ſatis liquet. Quaecunque ſit, euidens certe materiae purulentae, ex elapſis per dictas (ccx) vias liquidis factae, exemplum videre non raro licet

in visceribus inflammatis, quippe quae puris ſpecie obducta inueniuntur, absque omni continui ſolutione in tota ſuperficie loci inflammati. Colliquatam celluloſam ſimul ad puris formationem concurrere (ccx) inde probatur, quod vix notabilis generatur huius quantitas, niſi in locis multo textu celloſo praeditis, ſicut etiam ſuppurationes tractum eiusdem ſequi, eamque exhaurire ſolent. Fermentationis ſpeciem eſſe ipſam puogeniam probabile eſt, quia genuinum pus numquam producitur in inſtanti, ſed poſt certum temporis ſpatium; tum etiam quia omnes humores animales, ſufficienti aquae quantitate temperati, motum ſpontaneum ſuſcipiunt, vnde dulce blandumque naſci ſolet productum; tum denique quia pus in reliquis effuſis et ſuperſtite celluloſa tela ſimilem mutationem inducit, adeoque fermenti inſtar agit. Egregie autem haec adiuuantur iugi humoris noui admiſtione, calore, pulſatione, ſolitis actionis vaſorum, auctae potiſſimum, qualem febris conſenſualis inflammatoria (cciii) ciet, effectibus.

CCXII. Svppvratio ſic nata (ccxi) *promouetur* externis relaxantibus ſeu emollientibus calidis,

calidis, ſub cataplasmatis potiſſimum forma adplicatis.

CCXIII. Hvmore itaque copioſius adfluente, adiuuante pulſatione inflammatoria, perficiente motu fermentatiuo (ccxi), accedente adplicatorum relaxantium virtute (ccxii) *pus naſcitur*, blanda nimirum et vnctuoſa materies, ad acre ſtimulans, quantum fieri poteſt, obtundendum et in ſimilem fermentationem deducendum adque vaſa irritata demulcenda idoneum, qua accumulata in alium denique morbum, abſceſſum nempe ſuo loco pertractandum, tranſit inflammatio.

CCXIV. Inflammatio in partibus glanduloſis niſi reſoluatur nec in ſuppurationem abeat, praecipue remediis frigidis, adſtringentibus, reprimentibus tractata, lente *induratur*, tumoresque glanduloſos frigidos creat, infra dicendos.

CCXV. Inflammatio ad ſummum aucta, ſubſiſtente cauſſa irritante, exſtinctionem virium vitalium parit atque *Gangraenam* inducit, alibi exponendam. Largo tamen opii vſu ſanatam illam eſſe legimus.

Eryſipelas.

CCXVI. Erysipelas *aequiuocam* diximus inflammationem, quia cum Phlegmone, ceu genuina, non ſatis conueuit, neque tamen plane ab eadem diſcrepat. Notabilior autem eſt haecce diſcrepantia in Eryſipelate ſymptomatico quam in idiopathico, niſi illud Phlegmonen ipſam comitetur, vel in eamdem degeneret.

CCXVII. Erysipelas *idiopathicum* tria abſoluit *ſtadia*. Horror, grauedo, anorexia, laſſitudo, febris denique, amphimerinae typum ſeruans, *primum* conſtituunt, vltra biduum vix excurrens. *Alterum* adducit tumor inflammatorius, cutis ſuperficiem occupans, ambitu facilius excreſcens locumue mutans quam in ſubiacentes partes deſcendens, coloris e roſeo, rarius e purpureo vel liuido, flaueſcentis, premente digito euaneſcentis, ablato mox redeuntis, diffuſum ardoris pruritusque magis quam fixum doloris et pulſationis ſenſum creans, minus notabili duritie et ſplendore, ſaepe tamen veſiculis ichore repletis ſtipatus. Collabeſcentibus vaſis adfectis, tumoreue ſubſidente *tertium* demum

mum ſuccedit ſtadium, in quo omnia ſympto-mata euaneſcunt et epidermis loci adfecti, poſt difflatum ichorem ſicca, ſub ſquamarum forma ſecedit, quod plerumque circa vndecimum morbi diem abſoluitur. Quae quidem eueniunt, quoties benigna reſolutio locum habet. Raro autem vel numquam veram ſuppurationem admittit Eryſipelas, niſi forte in phlegmonen mutata fuerit: illam tamen interdum mentitur vlceratio, ex acriore puſtularum latice oriunda. Neque idiopathicum ſine mala arte in gangraenam tranſit, a ſcirrho perinde alienum.

CCXVIII. Etiam in aequiuoco hocce inflammationis genere *principium* morbi in irritamento vaſorum dilatationem (cciii) producente conſiſtit.

CCXIX. Cuius (ccxviii) *cauſſae* frequentiores ſunt varia ingeſta, tranſpiratio ſuppreſſa, bilis mota, adfectus animi, ſtimuli externi.

CCXX. Propria huius inflammationis *ſedes* in vaſculis ſummae cutis, cruori vehendo non dicatis, quaerenda eſt. Telam autem celluloſam

non complectit Eryſipelas, niſi Phlegmonae nuptum.

CCXXI. Praecipva *curationis* externae momenta conſiſtunt in remouenda, quantum fieri poteſt, cauſſa irritamentum praebente (ccxix), et adhibendis auxiliis antiphlogiſticis (cciv) et leuiter diſcutientibus (ccv); ſemper reſpiciendo vires aegroti morbique indolem.

CCXXII. Erysipelas *ſymptomaticum* ab idiopathici natura et greſſu notabiliter degener, varios morbos comitari ſolet: datur *phlegmonodes*, *oedematodes*, *ſcirrhodes*, *herpeticum*, neque infrequenter occurrit inter prodromos, ſymptomata, metaſtaſes variarum febrium, praecipue malignarum. Tale connubium cognoſcitur ex concurrentibus Eryſipelatis et morbi idiopathici ſignis, et curationem exigit ad poſtremum maxime adornatam.

Inflammationes ſpuriae.

CCXXIII. Spvriae inflammationes dicendae *ſunt* illae, in quibus communes phlogoſeos notae

tae characteristicae (cxc) vel desiderantur vel minus notabili gradu adsunt: aliae vltra Phlegmones Erysipelatisue terminum adeo protrahuntur, vt chronicae salutari possint, aliae econtra sunt fugaces et fere momentaneae. Vtriusque generis caussa proxima est irritamentum, in diuturnioribus plerumque ex acrimonia humorum venerea, arthritica cet. in fugacibus a leuiore stimulo, frictione e. g. oriundum. Posteriores curationem vix exigunt: priores idonea humorum correctione magis quam methodo antiphlogistica debellantur.

CCXXIV. Diversa phlogoseos *natura* hactenus (cxcix-ccxxiv) exposita, iam praecipua inflammationum, vt aiunt, *localium* genera, quot nempe externis potissimum auxiliis sanari solent, veniunt consideranda. Quo pertinent *Ophthalmia*, *Parotis inflammatoria*, *Angina*, *Inflammatio mammarum*, *Bubo inflammatorius*, *Testiculorum inflammatio*, *Phimosis*, *Paraphimosis*, *Paronychia*, *Pernio* et *Ambustio*.

Ophthalmia.

CCXXV. Ophthalmia *eſt* tunicarum oculi inflammatio: characterem conſtituunt dolor et rubor partis inflammatae, lucis intolerantia et myoſis ſeu pupillae anguſtatio, quae tamen pro diuerſa morbi ſpecie egregie differunt.

CCXXVI. Vario reſpectu ophthalmia *diſtinguitur*. Prout enim morbi ſedes vel manifeſta vel occulta eſt, ophthalmia vel *externa* dicitur vel *interna*. Si notabiliore lacrymarum profluuio ſtipatur, *humidae* nomen habet; *ſiccae* vero, ſi vel craſſus vel omnino nullus humor defluit. Ratione indolis et terminationis diſtinguitur in *phlegmonoden*, *eryſipelatoden*, *reſolubilem*, *ſuppurantem*, *gangraeneſcentem*: *continuam* denique et *periodicam*. Quoad originem *idiopathica*, *ſympathica*, *ſymptomatica*, *metaſtatica*. Aſt prae reliquis exponi meretur notabile illud diſcrimen, quod diuerſa mali vehementia efficit; quo reſpectu triplex eſt Ophthalmia, *leuis* nempe, *grauis* atque *grauiſſima*.

CCXXVII. In *leuiore* huius morbi ſpecie, *Taraxi* dicta, vaſcula in ſtatu ſano ſanguinem rubrum

rubrum excludentia, hoc inpulſo diſtenduntur, rubore conſpicua fiunt, pruritusque incommodi potius quam doloris ſenſationem creant. Abeſt pulſatio et calor, vtque plurimum lucis intolerantia. Neque raro deeſt lacrymatio, cuius locum ſaepe tenet aucta ſebi ciliaris ſecretio, prout vel albugineam oculi vel interiorem palpebrae tunicam, huiusque marginem occupat inflammatio. Ab accidentali tantum irritamento oriunda nunc breui euaneſcit, nunc diutius permanet, in alium morbum rariſſime abiens. Vnde patet ad ſpurias phlogoſes merito referri Taraxin.

CCXXVIII. At *grauior* eſt Ophthalmia, *Chemoſis* quae ſalutatur, quoties inflammatio corneae diaphanae limites vel attingens, vel excedens, vaſculoſum atque celluloſum coniunctiuae textum ita tenet, vt propter vehementem et obſcure rubrum iſtius turgorem illa adpareat depreſſa, ſplendoreque et pelluciditate ſua priuata. Haec non ſolum notabilem pulſationem, crudelem dolorem, palpebrarum tumorem, lucis impatientiam, lacrymationem multam, calidam, acrem, ſanguinolentam, transſudatione purulenta,

palpe-

palpebras conglutinante, deinde exceptam, varia quoque ſymtomata rapti verſus partem adfectam ſanguinis ſecum vehit. Dirus iſte ſtatus vel ante vndecimum diem ſoluitur, quem euentum dicta transſudatio purulenta ſequitur, vel in tertiam ſpeciem tranſit.

CCXXIX. SPECIES denique *grauiſſima*, choroideae nempe atque retinae tunicae inflammatio, notabilem pupillae coarctationem, ſummam lucis intolerantiam, crudelem dolorem et alia maximae phlogoſeos et congeſtionis ſanguineae ſymptomata adfert; neque tamen ſemper coniunctiuam rubore conſpicuo ſuffundens. Haec niſi cito reſoluatur, in ſuppurationem et corruptionem abit.

CCXXX. OPHTHALMIAE (CCXXV) *diagnoſin* et *prognoſin* ſuppeditat ſymptomatum et cauſſarum recta diiudicatio.

CCXXXI. DIVERSA huius morbi *ſymptomata* vel primitiua ſunt dicenda, vel conſequutiua. *Primitiua* ſtatum inflammatorium et laeſionem functionis oculi partiumue adiacentium indicare, ex dictis (CCXXVII. CCXXVIII. CCXXIX) patet.

Con-

Consequutiua symptomata morbi pro diuersa eius sede, natura, caussa, vehementia, medicatione, variant. Praecipuae autem mali minus feliciter superati sequelae sunt tumores palpebrarum; lippitudo; viarum lacrymalium impedimenta; opacitas corneae transparentis aut capsulae crystallinae; sanguinis in caua oculi transsudatio; Vnguis; Hypopion; vlcera corneae, choroideae, retinae; corruptio humorum et varia alia immedicabilia visus nocumenta.

CCXXXII. Generalis Ophthalmiae *caussa proxima* non secus ac in quauis alia inflammatione irritamentum est, quo vasa dilatari, humorum adfluxus augeri, transsudatio sanguinis et reliqua phlogoseos (cxc) etiam verioris (cxcviii) symptomata, cum maiore, minore organi visus laesione produci possunt.

CCXXXIII. Cavssae *remotae* irritamenti in ipso organo haerent, vel forinsecus admouentur eidem. *Internae*, chronicam potius quam acutam ophthalmiam efficientes, sunt Plethora, praesertim particularis siue congestiones sanguinis; euacuationum solitarum suppressio;

ſio; exanthematum repulſio; gonorrhoeae virulentae cohibitio; miasma venereum, ſcrophuloſum, cancroſum, racchiticum, varioloſum, morbilloſum; irritabilitas iuſto maior; atonia oculi eumdem morbum iam ſemel vel frequentius paſſi. Ad *externas* cauſſas pertinent tempeſtates variantes, frigus, calor, lux nimia, obiecta minutula viſum fatigantia, ventus, fumus, vapor irritans, puluis et alia corpuſcula caſu illapſa, Trichiaſis, Diſtychiaſis, alterius oculi vel partis correſpondentis valida irritatio, violentia quaeuis externa, ipſae denique operationes chirurgicae.

CCXXXIV. Chirvrgica Ophthalmiae *curatio* praecipit ſtimuli ablationem, humorum deriuationem, roboris vaſorum reſtitutionem, ſtagnantium et effuſorum reſorptionem vel remotionem: in quibus indicationibus proſequendis ſedulo tamen ad inflammationis ſedem, ambitum, cauſſam, gradum cet. reſpicere oportet.

CCXXXV. Vt *auferatur ſtimulus* (ccxxxiv) internus therapia requiritur morbo primario vel tollendo vel reuocando adaptata. Externo autem

tem diuerſimode occurritur: illapſa, intruſa diluantur et eluantur, quo ſcopo egregie conuenit lac crocatum, vel mucilago ſeminis Cydoniorum aut radicis Althaeae, cum aqua quadam deſtillata commiſta, tepide adplicanda: cilia irritantia vel eradicatione, vel palpebrae inuerſione ſecundum artem remoueantur: violentiae ſuam exigunt medelam; poſt chirurgicas operationes ſummum certe praeſidium ſiſtit frequens frigidae adplicatio: quae denique tolli nequeunt, vitentur ſaltem; lux nimia excludatur vel moderetur et ſic porro. Neque exiguam ad infringendum vel auocandum ſtimulum confert ſymbolam irritamentum, veſicatorii praeſertim ope in opportuno loco ſuſtentatum. Quid? quod ipſi parti inflammatae ſalem ſtimulantem non ſine fructu inſperſum eſſe legimus.

CCXXXVI. Hvmorvm ab oculo adfecto *reuulſio et deriuatio* pro varia Ophthalmiae cauſſa et vehementia venaeſectionibus in bracchio aut pede aut collo, tum maxime ſanguiſugio circa palpebras, arteriotomia in temporibus, inſtituendis, veſicantibusque vel ſetaceo nuchae admouendis obtinetur.

CCXXXVII.

CCXXXVII. Vasorvm laxatorum *robur restituitur* adplicata frigida vel vario epithemate vinoſo, diſcutiente, leniter adſtringente, vitriolato aut ſaturnino. Poſt ſuperatum morbum ſpiritus aromaticus, ex palma in oculum euaporans, egregie interdum prodeſt.

CCXXXVIII. Stagnantivm vel effuſorum *reſorptionem* adiuuant adplicationes externae (ccxx) dictae: *euacuatio* efficitur ſcarificatione coniunctiuae ſanguine turgidae, reſectione vaſorum varicoſorum, et ſi collectio ſanguinis aut puris ſub coniunctiua, inter lamellas corneae aut in camera anteriore daretur, inciſionibus haec educatur.

CCXXXXI. Probe quoque in diuerſis huius inflammationis ſtadiis vitanda eſt ſtrictior deligatio et intempeſtiua calidorum, frigidorum, relaxantium, adſtringentium, ſpirituoſorum cet. adhibitio: etenim nullum fere datur in Ophthalmia auxilium, quod minus opportune in vſum vocatum multam, quinimo immedicabilem, viſus praeſertim, noxam inferre non poſſit.

Pa-

Parotis et Bubo inflammatorius.

CCXL. GLANDVLAE conglomeratae externae interdum quoque phlogosi sunt obnoxiae, sic glandula Parotis *Parotidem inflammatoriam* axillaris vero et inguinalis *Bubonem inflammatorium* sistit. Lente tamen talis inflammatio nascitur, lentius recedit, difficulter solubilis, neque facilius suppurans, rarius in gangraenam transiens, in indurationem pronissima. Generalem Phlegmones tractationem (CCII - CCV) requirit, haud neglecto simul morbo primario.

Angina.

CCXLI. ANGINA in vniuersum *dici solet* respirationis, vel deglutitionis, vel vtriusque impeditio, a morboso faucium aut partium vicinarum statu pendens.

CCXLII. Hoc malum omni fere respectu diuersum est. Et primo quidem varia est impedimenti *sedes*: frequentius tamen adfectae sunt fauces, pharynx et larynx cum vicina tracheae et oesophagi parte. Ipsa deinde impediti transitus *ratio* valde differt: dictae enim spiritus alimentique viae vel inflammantur, vel

ſeroſa colluuie turgent, vel ſpasmo varioue tumore anguſtantur, vel corporibus alienis obturantur, vel paralyſi relaxantur, vel vlcere deuaſtantur; primus omnium modus veram Anginam conſtituit.

CCXLIII. Vera ſeu *inflammatoria* angina, *Cynanche* auctoribus dicta, hoc loco praecipue conſideranda, iterum cum natura tum ſede differt. Quoad *indolem* vel phlegmonodes eſt vel maligna dicta. Illa *ſedem* vel in lingua vel in glandula ſubmaxillari aut ſublinguali, aut thyroidea, vel in tonſillis, vel in vuula, vel in velo palatino, vel in pharynge, vèl in oeſophago, vel in larynge, vel in aſpera arteria vel in parte adiacente habet. Maligna vtplurimum fauces tantum inuadit.

CCXLIV. Genvinae Anginae inflammatoriae *diagnoſis* ſignis inflammationis communibus (cxc) et laeſae partis adfectae functioni, adhibito ſimul viſus, tactus, auditus, tum etiam cognitionis anatomicae miniſterio, innititur. Notandum tamen in grauiſſimis huius generis ſpeciebus, illa nempe quae laryngem tracheamue occupat,

cupat, et illa, quae in pharyngem descendit, singularia quaedam symptomata obseruari. In priore nempe febris adest acuta et fere ardens, vox sibilans, clangosa, vehemens sub inspiratione dolor, sub deglutitione, vocumque articulatione immaniter auctus, respiratio frequens, parua laboriosa, facies florida deinde liuescens, pulsus mire vacillans, anxietas intolerabilis et continuus suffocationis metus. In altera specie respiratio, est satis commoda, at deglutitio dolens, impossibilis, materia deglutienda per nares regurgitatur aut in tracheam pulsa tussim violentam excitat, febris non adeo intensa; neque tam celeriter mortem adducit haecce species quam prior.

CCXLV. Anginae inflammatoriae genuinae caussa *proxima* est irritamentum. *Remotae* vel externae sunt, sicut frigus ipsis faucibus aut aliis partibus, calente praesertim corpore, admotum, nimis gutturis labor, venena et alia acria, corpora aliena impacta, combustio cet. vel internae, sicut varii morbi febriles, inflammatorii, exanthematici et alii. Vnde patet Anginam inflammatoriam exquisitam perinde ac Ophthalmi-

am, vel idiopathicam esse vel sympathicam, vel symptomaticam, vel metastaticam.

CCXLVI. Ad *prognosin* quod spectat, morbus iste numquam periculo caret. Quod quidem eo grauius est quo immeabiliores sunt aëris alimentiue viae, quoque difficilius per pulmones agitur sanguis. Quae tonsillas occupat inflammatio sat facilem admittit resolutionem, male autem tractata vel valde vehemens in suppurationem, scirrhum, gangraenam abit. Larynge aut pharynge adfecto, nisi tempestiue resoluatur phlogosis, vel brevi suffocatione, vel pulmonum inflammatione, vel gangraena, vel alimenti defectu perit aegrotus.

CCXLVII. Anginae vere inflammatoriae Chirurgia versatur potissimum in caussae remotae (CCXLV) ablatione, sanguinis missione in bracchio, pede, collo, sub lingua instituenda, sanguisugio, scarificatione, clysmatibus paullo acribus, gargarismatibus detersiuis leuiter adstringentibus, quale e. g. est oxymel aqua dilutum. Neque exiguum leuamen adferunt rubefacientia, quin imo vesicantia, ceruici admota. Ling-

Linguae tumor inflammatorius, propositis remediis haud imminuus, profundiores poscit incisiones. Vbicumque vero haec omnia fallunt et strangulationis periculum imminet, ad Tracheotomiam recurrendum est. Quae febrem scarlatinam, variolosam, morbillosam cet. comitatur vera faucium inflammatio, idonea morbi, cuius symptoma est, medicatione plerumque resoluitur adque desquamationem deducitur: si vehementior fuerit, dicta auxilia, praecipue Rubefacientia aut Vesicantia vna cum gargarismate, minime tamen repellente, in vsum vocari possunt.

CCXLVIII. Angina *maligna*, etiam gangraenosa dicta, cum inflammatoria genuina in gangraenam terminata minime confundenda, ad certas febres putridas potius pertinet, quippe quibus superuenire solet, fauces primum erysipelate, deinde maculis cinereis, in gangraenam vel vlcerationem cito transituris, inuadens. Praeter generalem medendi methodum in febribus mali moris vsitatam, topica quoque exigit auxilia, maxime antiseptica et detergentia. Neque inutile erit notare, in tumoribus glandulosis

triſtis huius mali ſolutionem promittentibus, coctionem per emollientia minus tutam fuiſſe, quam continuam materiae morbificae attractionem et deſtructionem ope veſicantium.

CCXLXI. Favcivm *abſceſſus* poſt veriorem inflammationem vel metaſtaſin ortus, ſignis ſuis characteriſticis cognoſcendus, tempeſtiuam inciſionem, vrgente morbo vel ante perfectam maturitatem inſtituendam, requirit.

CCL. Ad *ſpurias* quoque Anginas, ab inflammatione haud oriundas (ccxliv) quod ſpectat, ſingularum cognitio et curatio cognoſcendo et curando morbo idiopathico innititur. Hic tantum monemus, in vrgentiſſimo illo ſtrangulationis periculo, quod ſecedens tracheae laryngisue phlogoſin (cclii) paſſae cruſta, glottidi impacta, vel aliud corpus alienum, in iisdem pylis haerens, adfert, inſtituta ſimul neceſſaria ſanguinis miſſione vomitum ciendum, denegato autem hocce exitu ſimile ſuffocaturum per factam in trachea inciſionem extrahendum eſſe, ſicut etiam ea, quae in oeſophagum delata neque per fauces repelli neque in ventriculum depri-

deprimi potuerant (alterumtrum in tali discrimine indicatur) ex ipso canale, illo, quem corpus recentum eleuauerat, loco inciso, feliciter exsectam fuisse legimus. Quod si ne haec quidem succedant vel fieri queant, impedito saltem spiritui via est aperiunda, instituta nempe Tracheotomia: quo tamen auxilio miseros illos carere oportet, in quibus infra locum tuto incidendum resides obstructio, vel ipsi pulmones ob sanguinem iam nimis accumulatum ad suscipiendum suum laborem inhabiles sunt facti.

CCLI. Qvo magis autem in ipsa *Tracheotomiae* administratione vitetur irritatio ab effuso in asperam arteriam sanguine et emphysema, quae quidem incommoda solitam successiuam cannulae in incisam tracheam immissionem aut subitaneam paracentherii per integumenta et tracheam simul intrusionem sequuntur, talis adhibeatur encheiresis. Capite aegroti, in humiliore sella collocati, reflexo et firmato, integumenta vna cum thyroideae glandulae parte, si haec intacta relinqui nequeat, infra laryngem incisione longitudinali transscindantur. Diductis musculis et detecta trachea paracenthe-

rium planum rectum vel curuatum, acu minus prominente instructum, inter tertium et quartum, tutius vero ob minorem laesae glandulae metum, inter quartum et quintum circellum immittatur. Retracta acu cannula in vulnere relinquatur, elapsu eius ex arte impedito, donec natiuae respirationis viae sint restitutae.

CCLII. Qvamdiv vero alimentis transitus est praeclusus, clysmatibus nutritiuis alendus est aegrotus, qua via etiam ingerenda sunt medicamina interna.

Inflammatio mammarum.

CCLIII. Mammarvm muliebrium inflammatio facili negotio dignoscenda, aut textum cellulosum tantum occupat, aut ipsas glandulas lacteas inuadit. Vtramlibet inducere solent denegata vel insufficiens lactatio, lac spissum, refrigerium, rudis contrectatio et violentiae externae, animi pathemata, ingesta spirituosa, vel acida, fluxus catamaeniorum impeditus. Superficialis aut resoluitur aut in abscessum abit: profunda vero vtrumque difficulter admittit, in tumorem scirrhosum, in carcinoma degener,

muta-

mutabilior. Curatio ad cauſſam morbi adornanda eſt. Reſolutio in puerperis dato purgante, lactisque tempeſtiua et leni eductione valde adiuuatur.

Teſticulorum inflammatio.

CCLIV. Testis inflammatio, ex communibus phlogoſeos ſignis (cxc) facile dignoſcenda, acutiſſimo dolore, maxime ſub funiculi ſpermatici tenſione ſtipata, vel epidydimidem vel ipſum teſtem vel vtramque partem ſimul occupare poteſt. Ad ſpeciales huius inflammationis cauſſas pertinet miasma venereum, Varicocele, Hydrocele, infima Coli flexura ſcybalis diſtenta, calculus per vretherem deſcendens, Gonorrhoea vehementior vel male tranctata. Prognoſis ſemper ambigua: niſi tempeſtiue reſoluatur malum, ſuppuratio, totam ſaepe partem adfectam conſumens, ſcirrhus in degenerationem carcinomatoſam proniſſimus, Sarcocele, Hydrocele et alia mala, ſuo loco exponenda, ſequi poſſunt. Curatio chirurgica citam reſolutionem exigens, methodum praeſcribit, ad morbi genium adornatam, teſtis ſuſpenſione adiutam;

gonorrhoea ſuppreſſa reuocanda eſt cereo immiſſo, prudenter ſimul adhibito hydrargyro, emplaſtri aut vnguenti forma ſcroto adplicato.

Phimoſis.

CCLV. Phimosis *dicitur* in vniuerſum quaeuis inhabilitas praepurii ad detegendum glandem, ſiue natiua conformatione, ſiue morboſo huius vel illius ſtatu, ſiue mala medicatione inducta. Accuratius diſtinguitur in veram, inflammatoriam nempe, et ſpuriam, quae reliquas ſpecies complectitur.

CCLVI. Phimosin *inflammatoriam* cognoſcimus ex impedita praeputii retractione, communibus phlogoſeos notis (cxc) ſtipata. Speciales morbi cauſſae ſunt verrucae, vlcerationes et aliae irritationes glandis vel praeputii a violentia externa, vrina, muco, vel alio humore acri, maxime a gonorrhoea vel a miasmate venereo oriundae. Praeter impeditum vrinae effluxum et varias noxas inde metuendas, vlcerum cet. ſub praeputio latentium deteriorationem, glandis compreſſionem et diuerſimodam partium adfectarum corruptionem ſecum vehere

potaſt.

poteſt. Curatio chirurgica potiſſimum verſatur in reſolutione praeſtanda, cui ſcopo hic maxime inſeruiunt balnea tepida diſcutientia aut ſaturnina, iniectiones ſimiles, reſpiciendo ſimul ad cauſſam mali. Quod ſi his non debelletur inflammatio et periculum creſcat, ad cultrum recurrendum eſt. Quod quidem auxilium etiam in ſpuria Phimoſi adminiſtrari debet, quoties haec vel coitui officit, vel morbum occultat.

CCLVII. Institvitvr autem *praeputii inciſio* ſequenti enheireſi. Scalpellum minus, cuius apex vel globulo cereo eſt obtegendus vel in ſpecillo ſulcato recondendus, aperturae natiuae, vel ſi haec penitus fuerit clauſa, vulnuſculo ex arte facto intromittatur: inde ſub ſuprema aut laterali praeputii parte, qua nempe vaſa minus frequentia ludunt, ad poſtremum balani ambitum prudenter protruſo pellis transfodiatur, et quidquid cultro iam releuando occurrit, aequabili ſectione diuidatur. Margines vulneris vsquequaque perinde reſecari iubent nonnulli. Sic denudatae glandi debita admoueantur remedia vel ferramenta, vulneris autem

labiis

labiis ſimpliciſſima deligatione cicatrix inducatur, impedito diuiſi coalitu.

CCLVIII. Datur etiam in mulieribus phimoſis omnimode ſpuria, *Nympharum* nempe inflammatio, vrinae emiſſionem perinde ac Clitoridis erectionem impediens, quae ſoli therapiae antiphlogiſticae cedere ſolet.

Paraphimoſis.

CCLIX. Paraphimosis in vniuerſam *eſt* ſtrangulatio glandis a praeputio pone hunc ita retracto, vt antrorſum relabi illamque obtegere nequeat, ſiue ipſa pellis iuſto ſtrictior difficili coitu aut manus miniſterio violenter retrotracta fuerit, ſiue glans denudata, verrucis, vlceribus, phlogoſi, vel ex alia quacumque cauſſa maius volumen nacta, redituro praeputio obſtaculum ponat. Quod quidem eo certius inflammationem, quinimo gangraenam adducet, quo magis pertinax eſt illa reſtrictio, quo validius coles riget, quo acriora ſimul adſunt irritamenta.

CCLX. In tali phlogoſi (cclix) ſollicite procuranda eſt reſolutio, praeſtita ocyſſime praeputii relaxatione et protractione, in qua tamen

tamen encheiresi probe cauendum est, ne balanus pressionem patiatur. Frigida in principio morbi prudenter adplicata regressum pellis egregie facilitat. Noxam econtra adferunt, nisi cito iuuent, emollientia. Quodsi non succedat praeputii protractio et glandi maius maiusque periculum minetur, incisionibus in strictissima pellis parte, illaesa corporum cauernosorum tunica, factis, ad vulnerum simplicium normam deinde consolidandis, illa adiuuetur.

Paronychia.

CCLXI. Paronychia seu Panaritium *est* inflammatio phalangis singulae vel plurium in digito manus vel pedis. In qua diiudicanda et curanda notetur quadruplex, quam diuersa morbi sedes efficit, differentia. Datur Paronychia *cutanea*, cutim cellulosumque textum inuadens, *subunguis*, sub tegmine digiti latens, *tendinea*, ligamentis articularibus et tendinibus horumque vaginis communis, illa denique, quae a *periosteo*, cui inhaeret, nomen habet.

CCLXII. Paronychia cutanea cognoscitur tumore inflammatorio manifesto symptomatibusque

que minus violentis, neque vltra digitum affectum vagantibus neque ominoſis. Profundiores autem ſpecies intenſiorem dolorem caloremque, nullum vero ſub mali principio tumorem ſecum vehunt, qui tamen praegreſſo oedematoſo vere inflammatorius accedit. Crudelior eſt dolor, tractum tendinis ſequens, ſi huius vaginam phlogoſis occupet; crudeliſſimus, et ad humerum excurrens, febre acuta, totius manus, quinimo bracchii et glandularum axillarium intumore, ſpasmis que ſtipatus, ſi perioſſeo inhaereat phlogoſis. Tendinea miros ſaepe in manu bracchioue abſceſſus parit: perioſtei adfectio in gangraenam prona eſt, vtplurimum ſaltem oſſis corruptionem inducit: ſubunguis paronychia tegminis ſeceſſum interdum cauſſatur.

CCLXIII. Commvnes Panaritiorum *cauſſae* occaſionales ſunt variae ineuriae externae e. g., puncturae, morſus, lixiuia acria; tum etiam varia vitia interna, metaſtatici imprimis decubitus.

CCLXIV. Omnis Paronychiae *curatio* chirurgica ad phlogoſcos reſolutionem maxime dirigi-

dirigitur. Quae morbo nedum adulto methodo antiphlogiſtica generali (CCIII. CCIV. CCV) obtinetur: plurimum tamen hic praeſtat ſanguinis miſſio localis, fotus reſoluens vegetabilis vel ſaturninus, inque profundiore, at recenti inflammatione veſicatorium vel cauſticum loco dolenti adplicatum. Niſi intra triduum reſolutionis ſigna adpareant, promouenda eſt ſuppuratio cataplasmate et emplaſtro emolliente admoto. Neque maturior puris elaboratio exſpectetur, ſed eo citius inſtituatur inciſio, quo altius deliteſcit malum. Incidendus autem eſt ille, qui primum doluit, locus, cultro inde ſecundum longitudinem partis ducto. Quod ſi pus in vagina improuide relictum ad manum bracchiumue propagatum fuerit, inciſione interdum omnem illius viam proſequi neceſſe eſt, intactis tamen ligamentis annularibus. Vlcus, ob cariem, tendinis laeſionem, cuniculos et fungos diuerſimode complicatum ſecundum methodum alibi exponendam tractetur. Subunguis Paronychia non reſolubilis puris, per vnguem transſparentis, emiſſionem vel ab vnguis marginem, vel illo raſura attenuato et inciſo exigit.

Per-

Pernio.

CCLXV. Pernio *est* inflammatio a frigore producta, cui adeoque maxime obnoxiae sunt digiti, auris lobuli, nasi apex.

CCLXVI. Pro diuerso frigoris admissi gradu differunt Perniones. Quippe illo stimulo tantum cutim constringente et eius vasa dilatante, spuria nascitur inflammatio, leuis nempe partis adfectae tumor, rubor, dolor, sub calore in pruritum transiens, quae omnia per integrum hyemem immutata subsistere possunt. Frigore autem acriore, humorum serosorum in summa cute circulum iam retardante blanditiamque tollente epidermis in bullas eleuatur, quibus ruptis cutis corrosa adparet, tumore simul magis conspicuo, doloreque acutiore. Particulis frigorificis violentissime in corpus agentibus, humores coagulantibus, vires vitales opprimentibus, non solum integumenta communia, sed subiacentes quoque partes, quid? quod integri digiti, manus, pedes cet. gangraena corripiuntur, quae perinde metuenda est, quoties pars summum frigus passa derepente calori exponitur

tur et vice verſa. Sic etiam intenſiſſimum frigus vniuerſum corpus adgrediens ſtuporem, rigiditatem, ſoporem, apoplexiam denique lethalem producere ſolet.

CCLXVII. Qvae Pernionibus non vlceroſis conueniunt, *auxilia* externa ad extrahendas particulas frigorificas et reſtituendum deinde partium robur ſenſumque faciunt. Priori ſcopo inſeruit immerſio partis adfectae in aquam frigidiſſimam vel niuem; ad poſteriorem conducit frictio in conclaui frigido adminiſtranda, fotus denique ſpirituoſus, acidus, aromaticus. Vlceratio et gangraena ex frigore ortae communem horum adfectuum medelam poſtulant. Prophylaxis Pernionum in eo tantum conſiſtit, vt partes gelu expoſitae aptis tegumentis muniantur, vtque ſubitanei caloris aditus ad partes frigus paſſas vitetur. Ad auertendam frigoris hyberni iniuriam nihil magis conducit quam tegumenta idonea, lanea potisſimum, aëris acceſſum ad partes extremas praecludentia, et caloris ſubitanei poſt ſuſceptum frigus vitatio.

Ambuſtio.

CCLXVIII. Ambvstio eſt inflammatio (cxc) ab igne actuali vel potentiali producta, ad cuius cauſſas adeoque pertinent radii ſolis concentrati, corpora accenſa, ignita, igne liquefacta, feruentia et varia cauſtica: cuique ſubiecta eſt tota corporis humani peripheria, et viae alimentares cet.


CCLXIX. Haec (cclxviii) quoque pro varia caloris admoti intenſitate variat. Pars nempe ambuſta vel Eryſipelatis (ccxvii) ſpeciem ſiſtit, epidermide non ſtatim in bullam eleuata; vel grauiorem et profundiorem inflammationem, mox cum veſicula dolentiſſima ſtipatam; vel cruſtam humidam gangraenoſam aut ſuperficialem aut profundam, graui Phlegmone circumdatam; vel Necroſin plus minus penetrantem. Diuerſa iſta laeſionis factae conditio et magnitudo, materiae vrentis natura, partis ambuſtae dignitas et ſenſilitas, diuerſam reddit morbi prognoſin.

CCLXX. Ambvstionis *curatio* chirurgica exigit leuioris phlogoſeos reſolutionem, grauioris ſuppurationem; gangraenoſi ſeparationem. Primum adiuuatur methodo antiphlogiſtica adplicatis leniter diſcutientibus, maxime ſaturninis; ad ſecundum et tertium conducunt cataplasmata, fotus, inunctiones emollientes; Veſiculae in vtraque ſpecie absque epidermidis detractione ſunt incidendae. Gangraena ex combuſtione medelam a communi diuerſam non deſiderat. Prophylactica inflammationis nedum obortae remedia ſunt aquae calidioris vel caloris maioris admotio, vel fotus ſpirituoſus acidus.

CCLXXI. Neqve tamen ſicco pede praetereunda eſt multifaria et eximia auxiliorum chirurgicorum in reliquis inflammationibus ſingularibus vtilitas. Et primo quidem in *Phreniti-de* et *Cephalitide* nulla curatio ſine ſanguinis miſſionibus, hirudines multum praeſtant, plura forſan promittente Arteriotomia. Nec adplicata externa hic ſunt omittenda. In *Peripneumonia* ac *Pleuritide* vere inflammatoria venaeſecti-

onibus ad quamque doloris orgasmique renouationem repetendis, hirudinibus, tum quoque veſicantibus loco dolenti admotis, praecipua curationis pars abſoluitur. *Carditidi* et *Paraphrenitidi*, rarioribus at periculoſiſſimis morbis, vel nulla vel analoga medicina paranda eſt. *Hepatitis*, *Gaſtritis*, *Enteritis* et aliae phlogoſes in imo ventre latentes ſanguinis miſſiones, veſicantia vel ſaltem rubefacientia aut embrocationes fotusque et balnea poſcunt. *Nephritidi* eadem, ſi Cantharides exceperis, conueniunt. In *Gonorrhoea* virulenta, dum valida vrget irritatio ſanguinisque ebullitio, huius detractio, hirudinum ad perinaeum adplicatio, fotus iniectionesque lenientes mire iuuant. Quid? quod faſciationis miniſterium hic quoque requiritur, ritam puto ſuspenſionem ſcroti, vtpote quae inflammationem teſtium efficacius praepediet. Poſſunt etiam muſculi lumbares, Pſoas inprimis, inflammatione, nephriticam vel arthriticam aut rheumaticam paſſionem mentiente occupari, quae niſi ſaepe laudatis antiphlogiſticis, topicis praeſertim, mature et efficaciter impugnetur, abſceſſum gignet late per carnium interſtitia vagantem ſanatuque dif-

difficillimum. In omnibus iftis phlogofibus adprime vtilia funt clysmata emollientia. *Rheumatismus* denique acutus non raro chirurgicis localibusque auxiliis facilius debellatur, quam medicamentis internis. Illa quoque haud inutiliter in vfum vocantur quoties *Arthritis*, vaga praefertim, multam inflammationem fecum vehit.



CAPVT IV.


FEBRIS.

CCLXXII.

Ad morbos ex irritamento oriundos, auxiliis chirurgicis maxime debellandos, Febris denique referri poteſt. Innumeris autem huius generibus et ſpeciebus quoad formam, vehementiam, greſſum, indolem, durationem, euentum, tanta intercedit *diuerſitas*, vt nullus alius morbus definitu ſit difficilior. Satis apte tamen *dicitur* permanens motus ſanguinis concitatio. Cuius *cauſſa* proxima certe eſt irritatio cordis; at ipſe ſtimulus irritans vix vmquam directe, ſed mediante ſyſtemate ſenſorio, in ſanguiferum agere videtur. Vnde patet doloris, ſpasmi, inflammationis cauſſas remotas etiam febrim producere poſſe. Haec etiam dolori ſpasmoque haud infrequenter, inflammationi ſemper fere ſuperuenit, conſenſualis (cxc) dicta, quid? quod vix vlla datur febris idiopathica, quae vnum alterumue adfinium illorum adfectuum ſecum non vehat, ſicut etiam varia mala ad morboſam laxitatem, rigiditatem, impeditum tranſitum, ſoluti-

ſolutionem continui cet. referenda, indidem profluere ſolent.

CCLXXIII. Febrivm *curatio* Medicis ſtricte ſic dictis reliqui ſolet, qui multam quidem medicamentorum internorum vim adhibent, raro tamen multum proficientes, niſi ſimul in vſum vocantur auxilia chirurgica, nulli fere indicationi non reſpondentia. Sic ſpasmus periphericus pediluuio alioue fotu tepido ſoluitur, orgasmus ſanguinis miſſione infringitur, humores verſus caput rapti eadem, maxime locali, reuocantur, inflammationes partium ante dictis remediis debellantur, vis neruea torpens veſicantibus excitatur, aluus obſtructa clysmatibus reſeratur, fauces aphthis obſeſſae iniectione liberantur, Naturae metaſtaſin molienti ſuccurritur cet.



SECTIO II.

MORBI AB IMPEDITO VEL SVPPRESSO TRANSITV.

CCLXXIV.

PRAECIPVVM vitae ſanitatisque praeſidium poſitum eſt in libero contentorum per debitas ſuas vias tranſitu.

CCLXXV. QVAMQVAM vero ad illa, quorum tranſitus non ſine vitae periculo, ſanitatis ſaltem noxa vel morbi iam praeſentis deterioratione, impeditur, non ſolum ſanguis, ſerum, lympha, mucus, ſemen, bilis et reliqui natiui corporis noſtri humores, ſed etiam varia fluida et ſolida vel ſecundum vel praeter naturam prognata, ſicut excrementa aluina, vrina, foetus vterinus, ſanguis menſtruus, multiplex materia purulenta, ſaburra, concrementum, ipſe denique aër pulmones alterne intrans et relinquens pertineant: patet vel hoc reſpectu diuerſiſſimam eſſe obſtructionem. Neque minor occurrit multiplicitas, ſi ad varios modos impedimenti, quod partes transmittentes efficere poſſunt, reſpici-

ſpicimus. Aſt quum foetus excluſio et diuerſa huius obſtacula ad ſingularem Chirurgiae partem, quae Obſtetricia audit, referantur, quumque aëris et cibi potusque impeditum tranſitum iam (CCXLI) expoſuerimus, varium denique concretum morboſum ſuo quodque locum conſideraturi ſimus, hic tantum de ea, quae *fluidis* contingit, obſtructione agendum venit.

CCLXXVI. FLVIDA, quibus etiam excrementa aluina ſunt adnumeranda, vel *completam* vel *incompletam* patiuntur obſtructionem: illa tranſitum ſupprimit, iſta tantummodo difficilem reddit.

CCLXXVII. VTRIVSQVE *principium* conſiſtit in reſiſtentia morboſa, quae vel in fluido traiiciendo, vel in vaſis transmittentibus haeret.

CCLXXVIII. QVAE in traiiciendis reſiſtentiam producere valent, *cauſſae* ſunt moles nimium aucta, et cohaeſio iuſto maior, ſiue haec vniuerſalis fuerit, ſiue partialis. Partes transmittentes fluidorum tranſitui obſtant, quoties vel capacitas, vel dilatabilitas vel contractilitas

earum est laesa. Vtplurimum resistentiae caussae in fluidis simul ac solidis haerent.

CCLXXIX. Impediti aut suppressi transitus *effectus* pro diuersa mali magnitudine, impulsus vehementia, fluidique et solidi obstructi, tum quoque caussae remotae natura, differunt. Vasorum sanguiferorum obstructiones incompletae maiores, subitaneae, et valido inpulsu agitatae congestiones creant, tensiones, irritationes, dolores, effusiones, tumores, horumque sequelas. Sanguis in his canalibus lente accumulatus, nulla nisi sueta vi pulsus, obstacula diutius premens, expansis parietibus debilitatem infert, oscula dilatat, cohaesionem laedit, vnde varia profluunt mala. Quodsi completa contingat obstructio in arteria sanguinem vehente, canalis coalescit, pauco sanguine ad locum obturatum remanente, quantum nempe rami laterales recipere valent. Pars denique, cui vel nulla vel insufficiente anastomoseos ministerio suppeditatur sanguis arteriosus, recte nutriri non potest, vnde marcor et debilitas. Venosi autem canalis plenaria adstrictio sanguinis infra obstaculum accumulationem, et stasin, efficit, variorum morborum,

ipsius-

ipſiusque Gangraenae fontem. Impedito vel ſuppreſſo lymphae aliusue abſorpti fluxu tumores effuſionesque naſcuntur: liquidi ſe cernendi vel excernendi retardatio aut retentio pro diuerſiſſima eius natura et dignitate multiplicem cum fluidis tum ſolidis infert noxam, quam hic recenſere taedioſum foret: at nihil tam inſtantanea tamque periculoſa et horrenda mala ſecum vehit, quam laeſus vis nerueae influxus. Praecipuos vero obſtructionis effectus, Chirurgiae auxilia poſcentes, ſingulatim pertractabimus.

CCLXXX. Generalis obſtructionis *Therapia* vel ad cauſſam laedentem cognitam (cclxxix) vel ad effectus immediatos (cclxxix) adornatur. Moles humorum nimium aucta ſufficientibus ſanguinis miſſionibus minuitur. Spiſſitudo eorundem a quiete, calore motuue tenuiora diſflante, reſidua condenſante, viſcido denique et amurcoſo orta, pro harum cauſſarum diuerſitate vel venae ſectiones aliasue humorum euacuationes, vel fotus et balnea emollientia deſiderat. Lentori a motu languido et debilitate ſolidorum pendenti iis quae morboſam laxitatem (xxvii) corrigunt, medendum eſt. Gelu adunatae ſanguinis

uinis moleculae balneo et frictione, qualia in pernione (CCLVIII) iuuant, priſtinam fluorem recuperant. Canalis morboſam anguſtationem, compreſſione vel elongatione productam, ſingularia auxilia in ſequentibus exponenda tollunt: imminutae contractilitati iis, quae amiſſum ſolidorum robur (XXVII) reſtituunt, deficienti denique dilatabilitati iis, quae vel rigidum relaxant (LVI) vel ſpasmum ſoluunt (CLXXXVIII), ſuccurritur. Congeſtionibus ſubitaneis earumque ſequelis immediatis medemur tempeſtiuo virium impellentium moderamine iisque, quae humores a parte adfecta potenter reuellunt et deriuant; in lentis vero et perſeuerantibus eadem quidem iuuant, ita tamen adhibita, vt humores iugiter reuocent, qua virtute vlcera artificialia reliquis euacuantibus palmam praeripiunt.

CCLXXXI. Qvvm autem magnus ſit morborum ex impedito vel ſuppreſſo fluidorum tranſitu oriundorum et iam exponendorum numerus, ſextuplicem ſubſectionem praemittimus, quarum prima *Tumores*, ſecunda *Marcores*, tertia *Retentiones* quarta *Reſolutiones*, quinta *Corruptiones*, ſexta *Suffocationes* continet.

SVB-

SVBSECTIO I.

TVMORES EORVMQVE CHIRVRGIA.

CCLXXXII.


TVMOR *eſt* morboſum voluminis augmentum in parte organica. Cuius *materiem* ſiſtit fluidum omne, cum naturale, tum praeternaturale, congeſtum, compactum, coagulatum, concretum, induratum: *ſubiectum* vero eſſe poteſt quaelibet pars cauo praedita adque recipiendum fluidum apta.

CCLXXXIII. COMMVNE tumorum *principium* eſt vel inſuperabile impulſus fluidorum augmentum vel debilitata partis recipientis reactio. Vnde liquet ad *cauſſas* remotas pertinere quodcumque vel fluidi adfluxum et impulſum ſolita reſiſtentia maiorem, vel receptaculorum vim reagentem ſolito fluidi impulſui imparem reddere valet. Patet quoque omnem tumorem eſſe morbum compoſitum, quippe in quo fluida a Naturae norma aberrare non potuiſſent, niſi ab eadem receſſiſſent ſolida continentia.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV. Tvmor eſt vel *idiopathicus* vel *ſymptomaticus*: poſtremum hic non attingimus. Alia et perinde vtilis diſtinctio illa eſt, qua in *calidos* et *frigidos* diſpertiuntur. Priores, a fluidorum orgasmo, calorem phlogiſticum ſecum vehente, nomen habentes, inflammationis indiuidui comites, adeoque ſymptomatici, ſunt; frigidi vero, ſucceſſiue ex inſufficiente receptaculorum reactione ortum trahentes, nulla loci adfecti inflammatione ſtipari ſolent.

CCLXXXV. Nvmerosissima horum tumorum (cclxxxiv) familia commodiſſime in quatuor diſtribuitur phalanges, *Hydropes* nempe, *Phymata*, *Cyſtides* et *Excreſcentias*.



CAPVT.

CAPVT I.

HYDROPES.

CCLXXXVI.

Hydrops in genere *dicitur* morbofa feri vel liquidi analogi in parte caua collectio (CCLXXXII). Haec obtinere poteft in omni corporis habitu inque fingulari qualibet parte, tumores diuerfa ratione modificans. Praecipua autem horum genera optime difponuntur fecundum variam, quam occupant, fedem. Sic primum confideranda veniunt *Oedema*, et *Anafarca*, deinde *Hydrocephalus*, *Hydrophthalmus*, *Hydrothorax*, *Afcites*, *Hydrocele* et *Hydrarthron*.

Oedema.

CCLXXXVII. Oedema eft tumor lentus, diffufus, cum mollitie et frigore pallens, foueam preffione inductam plus minus retinens, a fitu partis adfectae mutabilis pedes potiffimum infeftans.

CCLXXXVIII. Cuius *principium* humoris ferofi in vafis accumulatio inque telam cellulofam diffufio. Quo confert quidquid congeftionem

len-

lentam, perſeuerantem humoris aquoſi efficere valet, ſiue hunc vel ſpiſſitudine immeabilem vel reſolutione ad errores loci pronum reddendo, ſiue vaſorum ipſorum parietes vel oſcula robore ſuo priuando, aut cohaeſionem ſoluendo.

CCLXXXIX. Oedematis *prognoſin* quod attinet, ſequentia ſunt notanda. Quo diutius remanet foueola, digito impreſſa, eo magis debilitatas vel diſſolutas eſſe partes ſolidas, eoque difficiliorem fore curationem neceſſe eſt. Sanationem non admittit hic tumor, ſi cauſſa congeſtionem inducens tolli nequeat, ſicut in illo qui Hydrothoracem, Phthiſin, Cachexiam inueteratam, aliudue malum immedicabile comitatur. Maxima humoris diffuſi copia, ſubitaneum augmentum, acrimonia, putrefactionem, caloris vitalis exſtinctionem atque gangraenam minantur. Vnde facile intelligitur ſub quibus conditionibus morbus felicem reſolutionem obſtructi promittat.

CCXC. Oedematis autem *curatio* triplicem ponit indicationem exſequendam: *congeſti* reuulſionem et ad loca opportuna deriuationem dictis (CCLXXX) praeſtandam; *effuſi* reſorptionem, frictio-

friction lenta, diuturna, aromatica, fotu vaporoſo, ſpirituoſo, vinoſo, alcalino volatili, camphorato, ſapononaceo adiuuandam, vel tranſſudationem appoſito ſale communi toſto, ſicciſſimo, calente, humidi ſitientis tentandam, vel euacuationem, leuiſſimis ſuperficialibusque ſcarifationibus, (in oedemate grauiore et inueterato vix tutis) efficiendam; *roboris* deficientis reſtaurationem flaccique ſuſtentationem, roborantibus et adſtringentibus externis, ſaſcia praeſertim expellente ſecundum artem iniecta, operandam.

Anaſarca.

CCXCI. Anasarca *eſt* tumor oedematoſus corporis vniuerſalis, totum telae celluloſae ambitum occupans. Cuius cognitio et curatio ex iis, quae de Oedemate diximus, eluceſcit.

Hydrocephalus.

CCXCII. Hydrocephalvs *eſt* aquoſus capitis tumor, ad faciem inferiorem haud deſcendens, hinc ab Oedemate ſymptomatico, Anaſarca, intumeſcentia a ſaliuatione, variolis cet. inducta, facile diſtinguendus. Morbus vix niſi in infantibus recens natis obuius, commune Hydro-

pum principium adgnoſcens, in externum internumque diſpeſci ſolet, quibus tamen haud incongrue *mixtum* addi poſſe videtur.

CCXCIII. Hydrocephalvs *externus* iterum duplex eſt: etenim vel in textu celluloſo haeret ſerum effuſum, vere oedematoſum tumorem, ad palpebras non raro protenſum ſiſtens; vel ab aponeurotico caluariae inuolucro, vel denique ab ipſo Pericranio includitur latex, in vtroque caſu concolor eſt quidem, at renitens magisque tenſa et ſubdolens intumeſcentia. Externis ſolis adfectis neque notabilius hiant cranii ſuturae, neque ſymtomata adſunt laeſionem ſenſorii communis indicantia. Prauus foetus ſitus vel partus difficilis, aliaue violentia externa huius ſpeciei cauſſa fit. Morbus iam adultus medelam plerumque ſpernit; tentanda tamen eſt curatio medicamentis topicis efficaciter diſcutientibus et roborantibus, vinctura ſimul prudenter adhibita: quibus ſolis nihil efficientibus ſcarificatione occipitis, vel veſicatorio, vel ſetaceo ſubducendus eſt humor.

CCXCIV.

CCXCIV. Hydrocephalvs *internus*, ex latice intra cranium, diuersa quidem sede, effuso oriundus, quo non solum compressiones externae, verum etiam variae caussae serum versus caput determinantes conferunt, vnde non adeo infrequenter, quid? quod epidemiam adfectans, pueros primum alterumue lustrum nedum emensos quoque corripit, cognoscitur ex stupore, sopore, strabismo et aliis atque colluuiei serosae signis. Vtplurimum vero ipsa cranii ossa nondum coalita euidentius a se inuicem recedunt. Sero tunc quoque in textum cellulosum infiltratum *compositum* illum (ccxcii) Hydrocephalum producit. Latex autem ex encephalo forte in spinalem thecam descendens, vel in ista, primum fontem adgnoscens, praeter varios eosque grauissimos adfectus medullae compressionem denotantes, tumorem quoque serosum inter spinam vertebrae lumbaris prominentem, *spinam bifidam* dictam, efficit, in quo statu de salute miselli omnino desperandum est, imprudensque huius tumoris incisio mortem acceleratura foret. Capiti tamen anceps saltem medicina paratur ante dictis resoluentibus externis.

Veſicatoria hiantibus ſuturarum interuallis admota egregie iuuaſſe legimus.

Hydrophthalmus.

CCXCV. Hydrophthalmvs *eſt* oculi protuberantia ab abundanti humore aqueo oriunda. *Cognoſcitur* ſucceſſiuo oculi augmento, qui adeo demum increſcit vt palpebris contineri nequeat. Cornea plus ſolito arcuata eſt et prominens, iris profundius latet et immobilis eſt, nunc ampliorem rarius ſtrictiorem ſiſtens pupillam. Dolori primum tenſiuo, oculi fundum occupanti, hemicrania grauior ſuperuenit, viſus debilitatur, obſcuratur, perit; malo ad ſummum aucto Epiphora, Ectropium, Carcinoma, tunicarumque ruptura ſequitur. *Medendum* eſt morbo nedum in corruptionem terminato epithematibus vaſis debilitatis robur reddentibus, abſorptionem excitantibus; euacuantibus efficacioribus, permanentem deriuationem promittentibus, ſicut venae ſectione, ſcarificatione, cucurbitulis, ſanguiſugio, tum maxime vlcere artificiali; eductione humoris mediante Paracenteſi in ſclerotica vel cornea tunica ſecundum artem inſtituenda.

Hydro-

Hydrothorax.

CCXCVI. Hydrothorax *eſt* ſeri pleuram inter et pulmonem effuſi morboſa collectio, nullo diſtincto tumore externo ſtipata, vel propriam adgnoſcens *cauſſam*, vel alius morbi ſymptoma aut ſequela, modo alterutrum, modo vtrumque pleurae ſaccum occupans.

CCXCVII. Morbi huius *diagnoſis* ob inconſtantia et aequiuoca phoenomena magna difficultate premitur. Frequentiſſima tamen et minus fallacia ſigna fere haec ſunt: reſpiratio difficilis, exſpiratio maxime, capite pectoreque antrorſum inclinato aliquantum leuanda, a minimo motu voluntario aut decubitu reſupino anheloſa, noctu ſuſpirioſa, ſomnienti ſubitaneum ſuffocationis imminentis metum creans; anxietas perpetua, ſenſusque ponderis circa praecordia, quae ſimul, poſt paſtum inprimis, inflata et tenſa adparent; aegritudo permanens; tuſſicula, cum ſputis tenuibus aut ſubuiſcidis; pulſus depreſſus, vrina pauca, faciei pallor, palpebrarum inferiorum et manuum pedumque oedema; inſolita vicinarum coſtarum diſtenſio et ſub inſpiratione immobilitas; fluctuatio in

pectore percepta dum truncus ſedentis aegroti prehenſis humeris valide concutitur; ſonus denique percuſſo pectore ſuffocatus. Alterutrum Pleurae ſaccum aquam effuſam continere docet coſtarum eiusdem lateris imminuta mobilitas; bracchii ſtupor vel reſolutio; manus, pedis vel lateris ipſius inflatio oedematodes; genae rubor; decubitus in idem latus difficilis, in oppoſitum intolerabilis, in dorſum leuato pectore minus incommodus.

CCXCVIII. Hydrothorax idiopathicus, a ſimplici colluuie ſeroſa obortus vel acuti morbi ſequela, neque vetuſtus, neque viſcerum labe viriumue notabili iactura ſtipatus, *ſanationem* admittit. Cuius palmarium auxilium, humoris ſtagnantis eductionem certiſſime praeſtans, conſiſtit in thoracis pertuſione, tempore locoque opportuno ſecundum artis regulas inſtituta.

CCXCIX. Fieri autem debet *Thoracis Paracenteſis*, inter ſecundam et tertiam coſtam ſpuriam, ſi ſiniſtrum, inter tertiam vero et quartam, ſi dextrum latus perforandum eſt, coſtis ab infima numeratis; medio fere inter coſtarum extrema loco. Integumentis inciſione

ne longitudinali ſat ampla diuiſis, ipſae carnes ſectione tranſuerſali, ad inferiorem coſtam proxime accedente, ne arteria intercoſtalis laedatur, tranſcindantur. Quodſi pulmonis accretio in eo loco occurreret, ſpecillo digitoue haud ſoluenda, nouam paracenteſin in altiore ſede inſtituere neceſſe foret. Sanguinis profluuium a laeſa arteria intercoſtali oriundum ſola vaſis ad coſtam ſuperiorem compreſſione, ope laminae ferreae ad vnci formam curuatae praeſtanda, tuto ſiſtitur. Vulnus quamdiu libero effluxu opus eſt, interpoſito linteolo vel glomere molli, ſpleniis ac faſcia continenti firmando, apertum ſeruetur. Arctior vero deligatio, turundarum tubulorumque vſus caute hic vitentur. Omnibus aquis elapſis, vulnus eadem ratione ac illa ſimplicia, quae in pectoris cauum penetrant, tractandum eſt. Paracenteſis in vtroque latere numquam ſimul eſt inſtituenda: aër enim vtrinque in thoracem irrumpens periculoſam pulmonum compreſſionem efficere poſſet.

Aſcites.

CCC. Ascites *eſt* lenta abdominis intumeſcentia ab humore praeter naturam collecto.

Materiem non ſolum latex ſeroſus vel lymphaticus, verum etiam chylus, vrina, ſanguis, ichor ſiſtit. Quorum ſedes ſaepiſſime cauum eſt, quod peritonaei ſaccus format: rarius tela intercus celluloſa, intermuſcularis, peritonaeum, omentum, ouarium, vterus, tuba, ren. Pro partis autem humorem effuſum continentis diuerſitate Aſcites in abdominalem ſeu vulgarem, et ſaccatum diſtinguitur.

CCCI. Interdvm quidem a ſimplicibus Oedematis et Anaſarcae *cauſſis* oritur: ſaepius tamen viſcerum obſtructiones, apoſtemata, indurationes ſcrophuloſosque tumores ſequitur. Vnde nonſecus ac Hydropes reliqui vel idiopathicus eſt vel ſymptomaticus.

CCCII. Generalem aſcitis *diagnoſin* praebet tumor frigidus (cclxxviii), ſucceſſiue licet breui tempore ortus, aequabilis, tenſus, renitens, ſub percuſſione ſcite inſtituta diſtinctum motum fluctuantem edens. Vt plurimum quoque extremitates inferiores oedemate ſimul occupantur, ſudor deeſt, vrina parce fluit: fuſco colore et multo ſedimento praedita, catamaenia ſupprimuntur

tur etc. Abdominalem declarat aequabilior totius ventris tumor et diſtincta fluctuatio; ſaccatum prodit lentior illius ortus, notabilisque et circumſcripta in ſingula eaque ſuſpecta abdominis parte protuberantia, paruam vel nullam fluctuationem admittens, neque ſemper oedema adeſt menſtruorumue defectus. Quonam autem viſcere latex coerceatur, nullo certo ſigno cognoſcitur; ſuſpicionem tamen aliquomodo dirigit tumoris ſedes. Ouarium hydropicum quoque orificii vterini verſus latus adfectum tenſionem efficere ſolet.

CCCIII. Ascitis *prognoſin* quod ſpectat, idiopathicus abdominalis vulgaris, recens, nullo viſcerum vitio viriumque defectu ſtipatus, ſanationi haud obſtat: ſymptomaticus vero ſequitur conditonem morbi, cuius tarda progenies eſt, quemque ſemper deteriorem reddit. Saccatus difficulter ſanatur, maxime ſi ex pluribus ſaccis compoſitus fuerit; vix vmquam hydrops ouarii aliusue viſceris abdominalis feliciter curatus eſt. Incipiente morbo ouarii exciſionem ſuadent nonnulli.

CCCIV. Praecipva, quam Chirurgia ad cuiuslibet Afcitis *curationem* confert, fymbola confiftit in eductione humoris effufi. Quam vel fcarifationes praeftant, vel Paracentefis abdominalis, vel amplior caui hnmorem continentis apertura.

CCCV. Cvtis *fcarifationes*, vltra cellulofum textum non penetrantes maxime profunt ad euacuandum humorem in abdominis tegumenta effufum, inque peritonaei afcite interdum iuuant.

CCCVI. Celerivs et certius latex ferofus educitur per *Paracentefin* abdominis, quae non folum vehementiam morbi femper mitigat reliquorumque remediorum efficaciam adiuuat, verum quoque non raro fanationis praecipuam partem praeftat. Acu autem triquetra cannulae fulcatae immiffa venter afciticus in medio inter vmbilicum fuperioremque et anteriorem offis ilei fpinam vno at cauto ictu perforatur, quo facto acus retrahitur et cannula in vulnere reliquitur, donec fluida euacuata fuerint. Ne vero fubitanea abdominis inanitio vifcerum fluctuationem et vaforum relaxationem, hinc animi deliqui-

liquium, non raro lethale, inducat, ventri percuſſionem paſſuro faſcia lata, circumdetur et ad aquae eductionem progredientem magis magisque adſtringatur, quo muſculis coercendae contentorum moli iam imparibus ſubueniatur. Haemorrhagia huic punctioni rariſſime quidem ſuperueniens, ex communibus internae externaeue ſignis cognoſcenda et diiudicanda, praeter regulas et cautelas ſuo loco exponendas vaſis laeſi compreſſionem poſcit, turunda cannulae adhibitae magnitudinem aequante praeſtanda.

CCCVII. Hydrops ſaccatus factae quinimo iteratae paracenteſi haud cedens, amplam integumentorum et ſacci *inciſionem* cannulae ſulcatae miniſterio, poſteriorisque deſtructionem, iis quae ſuppurationem promouent, praeſtandam exigit. Haemorrhagia forte oborienti analoga, ac (CCCVI) dictum, methodo occurritur.

Hydrocele.

CCCVIII. Hydrocele eſt ſcroti tumor ſaccatus a morboſo humoris collectione, cuius *materia* vel ſeroſa aut lymphatica, vel ſanguinea, vel ichoroſa eſt. Frequentiorem mali *ſedem* conſti-

conſtituit cauum vaginali et albugineae tunicae intercedens; infrequentiorem praebent cellulae, quas vaginalis funiculi tunica efficit, in ſaccum maiorem diſtentae. Laxa denique tela vaginalem membranam hinc cum Darto, illinc cum Cremaſtere, Cremaſteremque cum Darto connectens, effuſos humores non ſatis coercens, oedematoſum dimidii vel totius ſcroti tumorem admittit, ſaepius ſymptomaticum, propriisque ſignis cognoſcendum. Quae vero hydrocelen producit obſtructio vel in teſtis, epidydimidis aut funiculi vitio vel communibus congeſtionis et ſtagnationis cauſſis quaerenda eſt.

CCCIX. Commvnia hydroceles *ſigna* haec ſunt: tumor ſucceſſiue obortus, excolor, aequabilis, mutabilis at ex toto non recedens, initio mollis, fluctuans, preſſioni cedere non plane neſcius ſed illico reſiliens, nec vlla arte minuendus aut in ventrem pellendus, creſcente morbo maiorem nactus magnitudinem, ponderoſus, durus, renitens, vtri repleto et arcte conſtricto ſimilis euadit, niſi humore foetus ſit turbido, aut valde denſam contraxerit membranam: humore magis magisque collecto ſcrotum aliquomodo rugo-

rugosum, venis inflatis interstinctum, penis paruus, constrictus, sub tumore quasi delitescens, deprehenditur. Quodsi funiculus spermaticus primum iusto maiorem monstrat crassitiem, deinde dictum sistit tumorem aequabilem, mollem cet. ab annulo ad testem vsque conspicuum, huius superiore parte simul sursum paullum tracta, in funiculi vagina haeret latex effusus: quod quidem malum a vesicae vrinariae hernia facile distinguitur, vtpote acuminata tumoris versus annulum figura, variisque aliis phoenomenis istum prolapsum concomitantibus, destitutum. Similis autem tumor, initio conglobatae magis figurae, testiculum deinde adeo, vt digito tangi non amplius possit, includens, deorsum maxime extensus, testemque fere ad verticem sacci reliquens, eo simul cum epididymidis parte difficillime, funiculo autem satis libere percipiendo, vaginale testis inuolucrum hydropem coercere docet. Sanguinem denique vel ichorem subesse, ex praegressis effusionis cruentae vel suppurationis signis maxime cognoscimus.

CCCX. Hydroceles *prognosin* praecipue determinat testis conditio; hoc enim integro molestiam

leſtiam magis quam periculum inducit humor collectus, quamquam malo ad ſummum aucto diuturna et violenta compreſſio et maceratio teſticulum vel indurare vel reſoluere queat. Quodſi vero ex praeexiſtente eiusdem vitio pendet hydrops iſte, mali primitiui euentum non modo ſequitur ſed deteriorem quoque reddit. In vniuerſum ſanatio difficilis eſt; facilius tamen iuniores liberantur quam adultiores, quid? quod pueri nedum ſeptennes ſolis naturae viribus non raro ſanantur.

CCCXI. Morbi *curatio* duplex habetur, palliatiua et perfecta.

CCCXII. Cvratio palliatiua, caſu interdum in felicem mali ablationem cedens, quod effluens poſt operationem humor purulentus ſaepe denotat, Paracenteſi infimi ſcroti efficitur, acu extrorſum et antrorſum directa. Quod auxilium toties repetendum eſt; quoties collectus de nouo latex moleſtias redintegrat.

CCCXIII. Perfecta autem ſeu *radicalis* curatio non ſolum fluidi nociui eductionem, ſed fontium potiſſimum exſiccationem molitur. Ad vtrum-

virumque in vniuerſum conducunt inciſio, ſetaceum, cauſticum actuale et potentiale, iniectio, medicamenta externa ſuppurationem promouentia, mundantia, exſiccantia, epulotica, haud neglecto ſimul apparatu continente et ſuſpenſorio.

CCCXIV. Hydrocele *funiculi* recens, cellularis, mediocris magnitudinis, ſanatur ſetaceo, ope acus curuae, planae, latioris, per externam partem ad mediam tumoris profunditatem traiecto, ad eliquandum diutina ſuppuratione humorem idoneo. Idem effectus in ſimili caſu ſperatur ab vlcere in ſuperiore et laterali tumoris parte cauſtici ope excitato et turunda molli, craſſiuſcula, longiori, digeſtiuo imbuta, ſenſim donec omnis humor morboſus effluxerit, minuenda, ſuſtentato. Vetuſtus autem et mole grandior tumor aperiendus eſt. Quippe integumentis vltra tumoris longitudinem diſſectis et diductis, cellulis intactis relictis, funiculo viſu tactuque detecto ſacculi ad iſtius tractum incidantur, eleuentur et forfice amputentur, ab inferioribus adſcendendo vaſaque ſpermatica ſedulo vitando. Cellulae inprimis, fuſco et glutinoſo humore repletae funiculi decurſum obſcurantes,

rantes, tutius minutim incisae suppuratione excitata destruantur. Concrementa adiposa maiuscula sacculis amplioribus incumbentes cutique pertinaciter adhaerentes caustico prouide, ne funiculo iniuria inferatur, consumenda sunt. Saccatus denique huius hydrops, neque vetustus neque magnae molis, caustico vel scalpello secundum longitudinem aperiatur saccusque suppuratione tollatur.

CCCXV. Hydrocele sub tunica *testis* vaginali residens perfecte curari vix et ne vix quidem debet, nisi praemittatur quinimo iteretur punctio, siquidem fluidum emissum, tum etiam tumoris volumen testisque conditio de vera morbi natura et ineundi medendi ratione certiorem reddit Chirurgum. Turbida, sanguinolenta, foetida si effluxerint, dissectio haud differenda est. Duplex vero hic datur methodus. Prima et efficacissima haec est: scroto plicato ab annulo ad fundum vsque inciso, saccus vaginalis in tota sua longitudine duce specillo sulcato aperitur; amplior, crassior, scirrhosa sacci, tum quoque integumentorum pars exscinditur, reliqua vero haud resecanda, aut tota interna sacci superficies

ficies aliquomodo adfecta, frequentius ſcarificatur et ſuppurationi committitur. Haemorrhagiae forte oboriturae debita occurritur medela ſuo loco exponenda. Sugillationes in proximis interdum partibus obuiae ſcarificationes et fotum diſcutientem ſpirituoſum ſalinum poſcunt. Altera methodus conſiſtit in ſacci vaginalis ſimul atque albugineae tunicae inflammatione diuerſo irritamento cienda, dictorum inuolucrorum coalitum, hinc ipſius aquarum ſcaturiginis interceptionem productura. Quem in finem varia adhiberi poſſunt corpora aliena, tam ſolida, quam fluida: ſic cannula Paracenterii, cylindrus e charta luſoria confecta, turunda oblonga, craſſiuscula, reflexa, digeſtiuo obducta, per aperturam acu triquetra aut lanceola factam inducitur et, donec ſufficientem creauerit irritationem, relinquitur: ſic quoque liquidum inflammans per cannulam paracenterii iniicitur, quo ſcopo vinum calidum, ſpiritus vini, quin imo tenuiſſima lapidis cauſtici ſolutio laudant experti. Setaceum, ante (cccxxx) propoſito ſimile et eadem ratione per infimam et externam ſacci partem traiectum adque conuenien-

tem irritationis gradum protractum vix minora hic praestat. Idem valet de vlcere ope caustici excitato et tractato. Vt vt autem experientia comprobauerit diuersarum harum methodorum vtilitatem, summa tamen cum cautione, neque nisi testis sanus fuerit, adhibendae sunt; imprudente enim vnius vel alterius administratione testis et partes vicinae iusto vehementius inflammari multaque alia symptomata vix et ne vix quidem domanda adduci possunt. Vnde sub reliqua curatione sedulo obstandum est nimiae phlogosi; suppuratio autem citissima et copiosa procuranda est escharoticis et digestiuis, fotubusque emollientibus; purum denique vlcus balsamicis, roborantibus, epuloticis consolidandum.

CCCXVI. Hydrocele sub albuginea in ipsa *testis* substantia delitescens non secus ac collectio serosa in *sacco peritonaei* prolapso imperuio et inani, merito dubia habetur. Quae vero grandiorem et vetustiorem *herniam scrotalem* comitari solent, aquae a genuina Hydrocele, comparatis vtriusque morbi notis characteristicis, facile distinguuntur.

CCCXVII.

Hydrarthrus.

CCCXVII. Hydrarthrvs *eſt* tumor articulum, frequentiſſime genu, occupans, aequabilis, ligamento capſulari circumſcriptus, albidus, mollis, veſtigium impreſſi digiti non retinens et motum cum dolore laedens, a morboſa ſynouiae collectione lente ortus. Quem tamen non ſolum communes congeſtionis ſeroſae lymphaticae cauſſae ſed iniuriae quoque externae *inducunt.* Ambigua et minus laeta eſt mali *prognoſis,* ſiquidem non ſolum facillime recurrit, ſed compreſſione atrophiam, dolore inflammationem, corruptione cariem producere poteſt. Symptomaticus autem et recens hydarthrus in vniuerſum facilius ſanatur quam idiopathicus et vetuſtus; neque vllus alius morbus per longas moras magis inualeſcit, quam iſte. *Curationem* quod ſpectat, ſimplici et naſcenti hydrarthro ſat efficaciter occurritur multa frigidae affuſione. Vbi vero iam adoleuit malum, humoris adfluentis reuulſio molienda eſt, vlcere artificiali in tumoris vicinia excitato adque perfectam morbi ſanationem ſuſtentato. Vt congeſta et ſpiſſa diſſipentur, frictio repetita, fotus penetrantiſſi-

mus, reſoluens, incidens, diſcutiens, roborans, embrocha ex ſimilibus aut aquis mineralibus calidis lento ſtillicidio ex alto in partem delapſis in auxilium vocentur. Humor denique hiſce non cedens punctione, ſcalpelli ope in commodiſſimo et maxime decliui tumoris loco inſtituenda, educatur.



CAPVT

CAPVT II.

PHYMATA.

CCCXVIII.

PHYMATA *dicimus* tumores partium glandularium, frigidos, lentos, circumſcriptos, plus minus duros, a fluidis intra vaſa minima morboſe collectis, compactis, concretis oriundos. Quorum principes ſunt *Scrophula*, *Struma*, *Scirrhus* et *Carcinoma*.

Scrophula.

CCCXIX. SCROPHVLA *eſt* tumor lentus, perennis, globularis, diuerſae magnitudinis, cuti concolor, duriusculus, indolens plerumque mobilis, glandulam lymphaticam maxime in collo, ſerius in artubus, *occupans* ab accumulato et inſpiſſato ſucco glandulari *ortus*.

CCCXX. CVIVS vitii *cauſſa* vel in ſpecifica glandulae vel ſucci ſui, vel quod veri ſimillimum videtur, totius ſyſtematis lymphatici labe eſt quaerenda. Quippe morbus rariſſime in ſingula quandam glandula reſidet, ſed plures ſimul adficit, ipſis meſaraicis aliisque internis, ſi inualuerit, vix parcens. Congenitum plerum-

que, neque raro haereditarium malum, ſub *Scrophularum* nomine notum, diu in corpore delireſcere conſueuit, dictis demum tumoribus ſeſe prodens Suſpicionem ſeminii tamen mouet cutis tenerior, facies florida, labii ſuperioris naſiue inſolita craſſities, genarum turgeſcentia ad aures accedens, venter tumidus et alia glandularum obſtructarum ſigna.

CCCXXI. Morbi *prognoſin* quod attinet, experientia docet, ſcrophulas in externo corporis habitu ſubſiſtentes impune interdum tolerari et obſcuram earum cauſſam ſolis Naturae viribus ſaepius ſuperari, quum adoleſcens aetas illarum energiam auxerit. Vetuſtiores et peioris indolis tumores, violentiam vel intempeſtiuam medicationem paſſi indeque irritati, facile inflammantur et in vlcera fiſtuloſa, ſordida, cruſtacea, ſerpentia, neque oſſibus parcentia, hecticam febrim ſecum vehentia abeunt: aliae ſcirrhoſae euadunt. Internae autem glandulae conglobatae vitio ſcrophuloſo adfectae morbos pariunt pro ſedis diuerſitate varios, Atrophiam, Aſcitem, Phthiſin etc.

CCCXXII. Scrophvlosi morbi occulti *curatio* in ſola fere externa frigidae adplicatione, prudenter dirigenda, poſita eſt; quod quidem remedium, ſin malum prorſus tollere non valeat, ſummum tamen ſiſtit praeſidium prophylacticum, vlteriori labis incremento potenter obſtans. Glandulis autem exulceratis, oſſa depaſcentibus, ſcirrhoſis, cet. opponitur Chirurgia, vlceribus, cariei, ſcirrho, carcinomati adpropriata, cum ſingulari ad morbum primarium reſpectu.

CCCXXIII. Similis ex aliqua parte, ſed fugacior et ab euidenti et communi obſtructionis cauſſa, vel a miasmate diuerſae indolis, vel ab humoribus noxiis repreſſis vel a ſtimulo oriunda glandularum externarum internarum intumeſcentia a ſcrophulis facile diſtinguitur. Haec medicamento externo efficaciter diſcutiente reſoluitur, miasma ſpecifico noto corrigitur, humores repreſſi aliorſum maxime verſus loca conſueta reuocantur.

Struma.

CCCXXIV. Strvma *eſt* intumeſcentia gutturis lenta, indolens, volumine, figura, duritiei gradu diuerſa. *Materiem* ſiſtit humor ſcrophuloſus, interdum in ſteatomatoſam, quinimo calcaream naturam mutatus. *Reſidet* illa in glandula thyroide aliisue minoribus gutturis glandulis. Neque infrequenter omnes ſimul adfectae in verum ſarcoma, molis fere monſtroſae et cartilagineae tenacitatis, excreſcunt. Mali *cauſſas* quod attinet, apud nonnullos populos, monticolas praeſertim, endemium eſt, ſexumque ſequiorem frequentius infeſtat. Deformitatem et moleſtiam magis quam *periculum* creat, vt ad ſeram ſenectutem innocua toleretur, dummodo laryngi pectorisue cauo nullam inferat iniuriam aut in carcinoma, quod quidem rariſſime accidit, mutetur. Intumeſcentia glandulae thyroidis a lympha morboſe collecta, Bronchocelen veram creat, morbum certe maxime infrequentem. Strumarum *curatio* chirurgica eadem eſt ac Scrophularum.

Scir-

Scirrhus.

CCCXXV. Scirrhvs *eſt* tumor lentus, permanens, vtplurimum ſolitarius, cuti concolor, circumſcriptus, perdurus, inaequabilis, mobilis, non vero quidem, dolorem ſed pruritus et lancinationis fugacis ſenſu, interdum quoque pondere moleſtus. *Materies* eſt ſuccus glandularis coagulatus et exſiccatus; *ſedes* omnis glandula, maxime cuius liquida in ſpiſſitudinem ſunt prona vel lentius promouentur.

CCCXXVI. Principivm huius tumoris nonſolum ex communibus obſtructionis cauſſis, ſed ſaepius quoque a ſpecifica humorum transmittendorum acrimonia, nonniſi ex effectu in glandulis manifeſto demum cognoſcenda deriuatur. Vnde praecipua ſcirrhorum diſtinctio in *mites* et *malignos*.

CCCXXVII. Generalis Scirrhi *diagnoſis* ex dato (cccxxv) charactere patet. Quae naſcentis indolem declarent, ſigna deſiderantur: nati autem malignum ingenium prodit molis augmentum cum ſenſu pruriginoſo, vel punctorio, tum etiam aſperitudo anguloſa.

CCCXXVIII. Scirrhi *prognosin* quod spectat, primarius necessariusque huius mali effectus est incapacitas partis induratae ad debitam suam functionem: consequutiuus autem, laesio partium vicinarum a mole, pondere, duritie alioue irritamento scirrhi. Vnde longa malorum chronicorum series, pro diuersa partium adfectarum ipsiusque laesionis natura varians. Nullus adeoque scirrhus verus sua indole benignus est et innocuus, quamquam tolerabilis recte dicatur, qui mole paruus functionis cuiusdam integritatem parum turbat; mitis quoque salutari possit, qui quiescit. At vero in his etiam perniciosa latet indoles. Maximum sane metum creat is, qui ex maligno principio ortum trahit, vtpote in carcinoma prae reliquis degener, tristissimamque transmutationem satis diu occultans.

CCCXXIX. Vnde in scirrhi *curatione* ad morbi aetatem praecipue attendendum est chirurgo, quippe quem recentiori ocyssime obstare, inueteratum autem quousque tuto fieri potest, impugnare decet. Experientia autem docet, in scirrho vero, locum imprimis glandulis refertum

tum occupante, ſine cauſſa manifeſta exorto, vtcumque mite et recente, emollientia et reſolüentia externa vix tuto tentari, pruriginoſum vero et dolore lancinante moleſtum valde inde exaſperari. Efficacior itaque et tuta ſcirrhi Chirurgia in ſola exſtirpatione conſiſtit. Quae absque difficili negotio notabiliue diſcrimine abſolüitur, ſi ſcirrhus paruus eſt, mobilis, cute tantummodo tectus, neque decolor: laborioſius autem, ſi grandior ille eſt partibusque adhaereſcens, periculoſa denique eſt operatio, ſi absque grauiore partium laeſione fieri nequit, quid? quod exitialis foret, ſi in corpore manifeſte cacochymico pluribusue ſcirrhis obſeſſo tentaretur.

CCCXXX. Perficitvr autem exſtirpatio ſequenti modo: cutis inciſione cruciata, aut, ne maior fiat cicatrix, ſimplice, ſcalpelli miniſterio praemiſſa, diductis vulneris labiis enucleatur ſcirrhus, quoties neque moles neque immobilitas obſtat; grandior vero, cuti tenui aut rubeſcenti fortius adhaerens, in corpore ceteroquin ſano, circulari ſectione facta, digitis aut hamulo attrahitur, et vna cum integumentis, quousque haec

haec illum tegunt, totus exſcinditur. In vtroque caſu vulnus deinde tamquam ſimplex tractandum eſt.

CCCXXXI. Glandvlarvm indurationes ab acrimonia venerea, ſcorbutica vel febrili ortae, morbo primario debellato, medicamentis reſoluentibus externis frictione adiutis ſaepe cedunt.

CCCXXXII. Qvi vero in textu celluloſo, imprimis poſt praegreſſas inflammationes, occurrunt, tumores indurati, a vera ſcirrhi natura multis paraſangis diſtantes, late expanſi, neque circumſcripti, immobiles denique et indolentes, medicatione externa emolliente aut reſoluente haud raro tolluntur.

Carcinoma.

CCCXXXIII. Carcinoma genuinum *eſt* ſcirrhus (cccxxv) malignam ſuam naturam variis ſymtomatibus manifeſtis, crudelitate ſucceſſiue augeſcentibus, declarans. *Principium* eſt acrimonia inſuperabilis et deleteriae indolis, ſucco glandulari inſpiſſato inhaerens, aetate, morbo accedente aut irritatione externa qualicumque in actiuitatem deducta. Diſtinguitur in *occul-*

occultum, quod cute integra ſuis adhuc continetur inuolucris, et *apertum* ſeu vlceroſum, deteriore tantum modificatione ab altero diuerſum. Materiae carcinomatoſae in motum iam concitatae *effectus* ſunt titillatio, pruritus, lancinatio, tumoris incrementum, aſperitas ſcabra anguloſa, calor, dolor, natiui tegumentorum coloris ſucceſſiua degeneratio in rubellum, rubrum, coeruleum, liuidum, atrum, vaſorum vicinorum inflatio varicoſa, craſſa, nigrique coloris, exulceratio denique adſpectu horrenda foetoreque intolerabilis, labiorum inuerſione, carnis duritie et fungoſa inaequalitate, excreſcentiis ſaepe cito in mirandam molem elatis, ichore acri vrente, dolore interdum immani, haemorrhagia conuulſione, accedente tandem febre lenta, conſumtione, lipothymia, morte.

CCCXXXIV. Occvlti carcinomatis *diagnoſis* deſumitur a ſymptomatibus primariis virus motum (cccxxxiii) indicantibus. Vlcerationem produnt praegreſſa Carcinomatis occulti ſigna tegumentorum excoriatio ſucceſſiua, tranſſudatio ichoris tenuis, acris, vrentis, foetidiſſimi. Apertum denique vlcus dicta (*ibid.*) teterrima facie,

cie, ſibi ſoli ſimili, et horrenda ſymptomatum ſyndrome a reliquis omnibus dignoſcitur.

CCCXXXV. Vervm enimuero docente experientia vel absque praegreſſo ſcirrho vlcera oriri poſſunt, carcinomati quoad adſpectum abominabilem ingeniumque maligniſſimum et indomabile ſimillima, quae a punctis vel varicibus nigricantibus duris, verrucis fuſcis, atris, aut cute tuberculoſa, fungoſa, coriacea, originem trahere ſolent, cancri rectius dicenda, in vlcerum hiſtoria vberius pertractanda.

CCCXXXVI. Carcinomatis veri *prognoſis* variat. Occultum aetate ſola in vlcerationem tranſit, certius tamen in glandulis magis neruoſis, quamquam in euchymis minus celeriter fiat iſta mutatio. Irritatum autem ineuitabili euentu carcinomatis aperti naturam induit. Vlceroſum et confirmatum, adhaereſcens, in corpore ſenili adque hunc morbum diſpoſito, nulla medicatione tentandum eſt. Virus autem carcinomatoſum non amplius in vna tantum parte reſidere, ſed omnem humorum maſſam inquinaſſe potiſſimum cognoſcitur ex pluribus tumoribus quinimo vlceribus

ribus iam ſubnatis, notabiliue et refractaria lippitudine. Cancroſa quidem vlcera, parua, recentia, nedum cadaueroſum foetorem edentia, lente ſerpentia, parum fungoſa, medelae conuenienti et tempeſtiuae interdum cedunt; confirmata vero carcinomatis naturam in omnibus ſequuntur. Si diriſſimi huius tumoris exſtirpatione ipſum ſeminium auferri nequeat, atrociora poſt illam mala exſpectanda ſunt: et ſi radices remanent, carcinoma crudelius reſurgit.

CCCXXXVII. Genvini Carcinomatis *curatio* vel perfecta eſt, morbi ſimul atque cauſſae radicalem ablationem, vel huius ſaltem correctionem, moliens, vel palliatiua, ſymtomatum ſolummodo lenimen praeſtans.

CCCXXXVIII. Qvae *cauſſam* mali debellaſſe vel correxiſſe feruntur, remedia externa ſunt Cicuta, Solanum furioſum et ſcandens, Hyoſcyamus, Phytolacca, Cortex Peruuianus, Dauci ſatiui radix, Sedi maioris ſuccus, Camphora, Opium, Acetum, Plumbum diuerſimode praeparatum, terra quaedam Luſitanica, Hirudines, quinimo Bufones parti adfectae adpoſiti, varia deni-

denique medicamenta composita et Arcana, quorum pleraque, si tantae laudis vsquam vere digna inuenta fuerint, stupefaciente magis, hinc irritamentum, haud exiguum sanationis obstaculum, infringente virtute, quam vi specifica, egisse videntur.

CCCXXXIX. Certissimam vero mali ipsius simul cum fomite ablationem praestat tumoris cancrosi *exstirpatio*. Circa hocce tamen auxilium tamen sequentia in vniuersum monenda sunt. Vltra carcinomatis ambitum excurrat sectio notabilemque vicinorum sanorum partem potius auferat, quo minus supersit, quod malum renouare possit. Sanguinis ex vasis abscissis profluuium non nisi vrgente necessitate sistatur. Noduli in vicinia cancri, siue cutim siue cellulosam occupent, simul exstirpandi. Suppuratio larga sustentetur. Vlcera denique artificialia in loco opportuno excitata et diutius fluentia post maioris carcinomatis exscissionem multum vtilitatis habent. Rodentibus huius mali destructionem moliri inanis plerumque et periculosus est labor.

CCCXL. Qvietem symptomatumue *lenimen* desiderat morbus exstirpationem non admittens. Quo scopo tentantur remedia caussae correctionem promittentia (cccxxxviii) vlcus vel tumor prouidissime contra iniurias externas defendatur, vnde deligatio molliter instituatur, antiseptica-que blandiora, et si occasio tulerit, leuissima narcotica in vsum vocentur.

CCCXLI. Vlcera cancrosa, dolentia, ringentia, cadauerosum foetorem spargentia, sanguinem fundentia, neque tamen nimis lata aut profunda, sectione tuto auferuntur in corpore coeteroquin sano, viribus haud carente. Sin minus, medicationem poscunt reliquis vlceribus communem, habita semper caussae latentis ratione.

CCCXLII. Cancer *mammarum* muliebrium omnium frequentissimus, quum praeter caussam communem (cccxxxiii) lactis discrimina, maxime vero notabilis vteri cum mammis conspiratio facillime obstructionem huiusque sequelas adducant. In Diagnosi, prognosi et therapia iste quidem morbus a Carcinomate (cccxxxiv-xli)


non abludit, nisi quod partem mammae occupans eodem modo ac scirrhus (cccxxx) cum suo inuolucro caute enucleari debeat. Omni autem mamma correpta, tota haecce morbi sedes resecanda est, quae tamen operatio fausto successu carebit, si varia adsint virus in sanguinem recepti signa (cccxxxvi), praecipue si pulmones exinde adfecti adparent; sicut etiam negotii menstrui terminus, post sextum aetatis lustrum imminens, euentum ancipitem reddit.

CCCXLIII. In ipsa vero *mammae exstirpatione* ad sequentia attendendum est. Aegrota commode sita musculus pectoralis maior adfecti vel vtriusque lateris retractione bracchii tenditur. Integumentis sanis circa mammam sectione versus axillam angulata scalpelli ministerio incisis, margo digitis attollitur atque tota cum inuolucris liberiori quidem manu, exscinditur: nam minus nocet carnis sanae tantillum abstulisse quam infecti particulam reliquisse. Laesi arteriae thoracicae mammariaeque rami saepe solis Naturae viribus deinde contrahuntur et modicam sanguinis copiam, neque sine salutari effectu fundunt: raro autem compressione, glomeri-

bus

bus ex Agarico ſeu linteo carpto, rariſſime ligatura opus erit. Sic factum denique vulnus linteo carpto molliter impleatur, ſpleniis tegatur, apparatusque vinctura, ſcapulari dicta, firmetur. Reliqua tractatio ad communem normam infra dicendam, adornetur.

CCCXLIV. Labiorvm, palpebrarum, bulbi oculi, membri virilis teſtiumque cancri, morbi minime infrequentes, a communi Carcinomatis natura non recedunt: vlcerati vero operationes poſcunt ſuo loco exponendas.



CAPVT III.

CYSTIDES.

CCCXLV.

Cystis *est* tumor lentus atque perennis, doloris expers, ad tactum aequalis, plus minus durus et renitens, circumscriptus, plerumque mobilis, figura globosus, oualis vel pyriformis, ab humore in folliculo proprio vel etiam alieno praeter naturam collecto oriundus. *Sedem* habere potest in qualibet glandula conglobata, maxime subcutanea; saepissime vero in singula quadam textus adiposi cellula dilatata, interdum quoque in vase sanguifero vel ductu excretorio ad capsulae similitudinem expanso, residet. *Materies* est variae naturae et consistentiae, lymphatica, cruenta, albuminosa, mellea, pultacea, sebacea, fungosa, ossea, pilis intermista. *Principium* est congestio et accumulatio humoris contenti glandularis in glandulae vel membranae adiposae cellula diuersimode commisti, mutati et deprauati, vnde receptaculum dilatatur, ad loca contigua adprimitur, cum illis condensatur, inque cystidem multas saepe lineas crassam, neque infrequenter cartilaginis aemulam, transit.

CCCXLVI.

CCCXLVI. Ex dictis patet, hos tumores, qui etiam tunicati seu capsulati dicuntur, rigorosiore examine distingui in cystides veras et spurias. *Verae* mihi sunt illae, quae integra et vndequaque clausa gaudent capsula, quo pertinnent *Lupia*, *Hygroma*, *Ganglion* et *Ranula*. *Spurias* illas dico, quarum sacci peruii manent vel saltem cum reliquo, ex quo enati sunt, canale communionem quandam seruant. His accenseo *Aneurysma verum*, *Varicem*, *Mariscam*, *Varicocelen*.

Lupia.

CCCXLVII. Lupia *est* cystis (CCCLV) materiem spissam vel solidescentem includens. Contentorum differentiae *distinctio* innititur: *Meliceris* salutatur, cui succus inest, mellis consistentiam adfectans: *Atheroma* concrementum pultaceum grumosum, *Steatoma* sebi vel lardi simile, *Osteosteatoma* simul ossescens, pilis non raro remixtum, continet. Sede tamen atque mole haud parum differunt. Sic Meliceris matricem adgnoscere solet glandulam conglobatam, capillitio maxime infesta, vbi quoque Talpae seu Testudinis nomine insignitur: reliquae lupiae,

ex textu celluloſo ſubnaſcentes, truncum artusue deturpare, inque longe maiorem ac mellea molem excreſcere conſueuerunt. Vnde liquet difficillime a ſe inuicem dignoſci diuerſas haſce ſpecies niſi tumoris ſitus, volumen et conſiſtentia tactu explorata probabilem vel certam reddat coniecturam.

CCCXLVIII. Lupiae minores, parum increſcentes et molliores omni *periculo* carent facileque per totam vitam tolerantur, maxime ſi nullius partis adiacentis functionem laedant. Vbi vero grandiores et ponderoſae fiunt, non ſolum deformitatem haud occultandam, ſed varias quoque moleſtias creant, aliisque partibus tum mole ſua comprimente tum nutrimenti detractione grauem noxam inferunt.

CCCXLIX. Triplex hic datur *curatio*; quippe vel reſoluentibus vel ſuppurantibus tentatur, vel exſtirpatur tumor.

CCCL. Et primo quidem *reſolutio* adplicatis diſcutientibus, frictione lenta, blanda, repetita adiutis molienda foret, quoties lupia recens nata et adhuc molliſſima fuerit; quamquam

quam mitior haec Chirurgia rariſſime, ſi vnquam, ſperatum praeſtet effectum.

CCCLI. Tvmor reſolutioni reſiſtens, mollior imprimis moleque paruus, leniſſime irritatur illinitione quotidiana ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua parati, tum quoque emplaſtris reſinoſis calidis ad inducendam in cyſtide inflammationem, Natura adiutrice in *ſuppurationem* terminandam. Qua ad debitam maturitatem progreſſa omnique fere cyſtidis materie in pus mutata, vel cauſtico vel ferro aperitur tumor, apertura in poſteriore caſu vltra illius ambitum protracta. Quod ſic non ſeparatur, vel ferro reſecandum vel digeſtiuo acri deſtruendum eſt, ne vlcere conſolidato cyſtis renaſcatur.

CCCLII. Omnis autem tumor tunicatus neque reſolubilis neque in ſuppurationem vertendus ob difformitatem, moleſtiam, periculum non amplius tolerandus, exſtirpari debet, quod ſatis tuto fieri poteſt, niſi radices nimis largas aut profundas habeat vel vaſis neruisue maioribus adhaereat, vel aetas aut vires aegroti medelam reſpuant. Cyſtis pyriformis, mollis, parua,

in petiolo ex arte ligata atque gradatim conſtricta ſponte decidit. Expeditiore autem et longe promptiore Chirurgia ſimilis tumor ſcalpello praeciditur, quae curandi ratio in omni cyſtide duriore et grandiore, licet pyriformi, ligaturae ſemper praeferenda eſt tutiusque adhibetur. Idem fere praeſtare ſolent medicamenta rodentia circa radicem tumoris quotidie adplicata et emplaſtris firmata, donec is decidat vel eroſa maximam partem radice commode reſecari queat. Attamen in maiore cyſtide iſta medendi methodus ob curationis diuturnitatem et crudelitatem taediosa eſt neque omnem noxae ſuſpicionem effugit. Amplior vero tumor tunicatus, ſi conditiones eius exſtirpationem permittunt, ferro tutiſſime vna et ſemel exſcinditur: integumentis per medium tumorem ſat longa aut, ſi opus fuerit, cruciata plaga inciſis, cyſtis digitis arrepta ſcalpello famulante a partibus adiacentibus caute ſeparatur, vt integra et inuiolata eximatur. Hoc certe opus, hic labor, praecipue in tumoribus grandioribus, durioribus et minus mobilibus. Poſt talem exſtirpationem diu interdum e vulnere ſanguis tranſſudat, nullo arti-

artificio, neque ipſa ligatura coercendus, quod partem capſulae ſuperſtitem indicat, vnde vaſorum contractio impeditur. Haec igitur indaganda et recidenda eſt, quo facto haemorrhagia facile compeſcitur. Vulnus poſt operationem remanens, ſi exiguum fuerit, oris emplaſtrorum ope rite iunctis inque debito ſitu firmatis intra paucos dies ſaneſcet; maius autem pro ſymptomatum ratione tractandum eſt.

Hygroma.

CCCLIII. Hygroma *eſt* verus tumor cyſticus ſolitarius, conglobatus a lympha ſincera in telae adipoſae cellula vt videtur effuſa atque congeſta, A Lupiis *dignoſcitur* mole minore et mollitie. *Curatione* vero ab iisdem vix recedit.

Ganglion.

CCCLIV. Ganglion *eſt* genuinus tumor cyſticus, globoſus, renitens in celluloſa tendinum, preſſioni externae magis obnoxiorum vagina ſitus, materiem continens albuminiſi ſimilem. Vnde facili negotio *diſtinguitur* a reliquis. Increſcens non ſolum deformitatem creat verum etiam liberae muſculorum actioni obſtat.

Triplici modo *curari* poteſt. Reſolutio validioribus diſcutientibus tentata interdum in homine non ſecus ac in equo ſuccedit. Vſitatior, quidem at valde anceps methodus eſt tumoris diſruptio contentique humoris diſpulſio, feriente inſtrumento ligneo praeſtanda, moxſubiuncta compreſſione, mali regenerationem praepediente. Tutiſſima autem medendi via conſiſtit in cauta exſtirpatione (CCCLII).

Ranula.

CCCLV. Ranvla *eſt* tumor ſaccatus ſub lingua ſitus, vel in obſtructo dilatatoque ductu ſaliuali vel in celluloſa tela exortus, materiem modo purulentam, modo lymphaticam, modo pultaceam, modo terreſtrem continens, facillime *dignoſcendus*, pro varia ſua magnitudine loquelam, manducationem deglutitionemque plus minus *laedens*, prouida capſulae inciſione euacuataeque deſtructione *ſanandus*.

Aneurysma verum.

CCCLVI. Anevrysma vervm dicitur tumor arteriae, cyſtidi haud diſſimilis, a ſanguine

in

in ſuo tranſitu impedito adeoque canalem ante obſtaculum iuſto magis expandente, neque tamen eius tunicas diſſoluente, productus. Morbum autem rariſſimum commode ad reliqua Aneurysmata a ſoluto continuo oriunda, quippe cum quibus diagnoſi et therapia plurimum conuenit, referri poſſe putamus.

Varix.

CCCLVII. VARIX *eſt* tumor venae ſaccati aemulus a ſanguine ob impeditum iter in parte minus reſiſtente imprimis ante valuulas accumulato formatus. Senſim oboritur, preſſus plerumque recedit, iterumque redit. Colorem habet ſaepiſſime liuidum. Vel ſolitarius eſt, ad nucis iuglandis magnitudinem non raro excreſcens, vel nodoſus, in maioribus venis harumque ſimul ramis occurrens. *Sedem* frequentiſſimam crura praebere ſolent; neque tamen capitis ventrisque et aliorum partium venae ab hoc malo immunes ſunt. Ad *cauſſas* liberum ſanguinis per venam inferioris artus tranſitum facile impedientes praecipue pertinent vterus grauidus, excrementorum accumulatio, ligaturae ſtrictiores, infarctus

farctus viſcerum, ſtatus greſſusue diuturnus, ſolitae euacuationis ſuppreſſio. *Symptomata* varicis ſucceſſiua ſunt pruritus et ardoris ſenſus, dolor denique incrementi plerumque comes, inflammatio aut ruptura ſanguinisque profluuium a violenta diſtenſione: ſanguine euacuato incommoda ad tempus leuantur; cute autem ſub ruptura venae integra manente ecchymoſis moleſta naſcitur, ſicut etiam inflammatio ſuperueniens vlcera in malam notam degeneratura ipſamque cariem adductura creare poteſt. Vnde prono alueo fluit Varicis prognoſis. In *curatione* triplex occurrit indicatio. Cauſſa, ſi fieri poteſt, tollenda eſt: ſic morbus primarius debelletur, vitae genus mutetur etc. vel coagulum cruentum venam obturans inciſione ex arte facta eximatur. Robur amiſſum venis reddi debet compreſſione, ope faſciae expulſiuae dictae vel tibialium firmorum membro adaptatorum prudenter adminiſtranda, topico roborante adiuuanda. Symptomata vel leuentur: ſic inflammatio, haemorrhagia et caries ſecundum artis regulas tractentur; vel praepediantur tempeſtiua tumoris inciſione ſanguinisque ſtagnantis educ-

eductione, superius (LXIX) dicta, qua facta vulnus tamquam vlcus simplex deligetur.

Marisca.

CCCLVIII. MARISCA seu tumor haemorrhoidalis *est* cystidis spuriae species, tumor nimirum prope ani marginem situs, ruber, vel liuidus, saepe dolorificus, nec infrequenter cruorem fundens sponteque deinde recedens. Cuius morbi *principium* est expansio variosa vasorum haemorhoidalium in cauam vel mesaraicam venam se exonerantium, vel etiam sanguinis ex iisdem vasis in telam cellulosam effusio. *Caussae* fere eaedem sunt ac varicum (CCCLVII) Haereditariam dispositionem nonnulli etiam accusant. *Diuiduntur* Mariscae in internas et externas, in coecas et apertas, solitarias et congregatas, symptomaticas denique et criticas. Externae oculis *visendas* sese praebent, internae quandoque sub alui egestione in propatulum veniunt vel ope explorantis indicis in anum immissi innotescunt. Coecae non adeo extensae, vix vlla secum vehunt *symptomata*: ampliores autem dolorem, inflammationem, abscessum, vlcera, fistulas, quinimo in corpore caco-

chymi-


chymico gangraenam inducere poſſunt. Quae vero criticam promittunt haemorrhagiam, *auxiliis* emollientibus, cucurbitis, ſcarifatione, ad fluxum diſponuntur, quo non ſuccedente vel ancillantibus hirudinibus vel tumoris inciſione ſanguis educendus eſt. Haemorrhoides modice fluentes, eae maxime, quae morbi ſolutionem adferunt, adeoque criticae ſalutantur, vix impune ſupprimuntur. Nimius autem et debilitans fluxus, qui quidem rariſſime obſeruatur, communem haemorrhagiarum medelam poſcit. Symptomatica denique mariſca, neque cruorem fundens neque inflammata, poſt ablationem cauſſae venamque in bracchio tuſam repellentibus adſtringentibus, maxime frigida, interno tumori ope enematis admouenda, tentetur. Inflammata vero methodum antiphlogiſticam et, niſi haec ſuffecerit, inciſionem exigit. Indurata demum et moleſta, exſtirpationem admittens, vel ferro vel ligatura auferenda eſt. Poſteriore methodo vtens ante fili iniectionem extimam Mariſcae tunicam circa tumorem incidat, ne ſtrangulatio hanc complexa in periculoſum conſenſum trahat inteſtina.

Vari-

Varicocele.

CCCLIX. VARICOCELE *vocatur* morbosa vasorum in scroto vel funiculo spermatico expansio. *Sedem* hoc malum habet non solum in superficialibus profundisue scroti inque spermaticis venis, verum etiam in ipso vase deferente, in epidydimide, in teste. *Caussae* sollemnes sunt violentiae externae, varii in imo ventre tumores, circulum humorum impedientes, euacuationes sanguinis suppressae, braccherii inepta compressio, quibus iusto parciorem Venerem addunt. *Cognoscitur* morbus ex sensu ponderis in scroto, tumore inaequabili, communibus denique Varicis signis, si externus fuerit; quod si vero funiculum occupat, canaliculorum circumvolutorum tumor ad miram molem haud raro increscens successiue epidydimidem ipsamque testis fabricam sursum trahens atque demum inuoluens, superius autem ad annulum, quinimo in ipsum ventris cauum adscendens, herniamque omentalem mentiens (quam tamen ampliatis pylis illis reuera inducere potest,) grauibusque doloribus ad dorsum et femora extensis stipatus veram mali naturam declarat. *Curatio* rarissime succe-

ſuccedit, pro diuerſa tamen cauſſa tentari poteſt ſanguinis detractione varia, leni alui ſubductione, diſcutientium, adſtringentium adplicatione, matrimonio; nonnulli caſtrationem, medelam certe malo triſtiorem proponunt. Minus quidem abſonum eſt illorum conſilium, qui Varicoceles inciſionem ac conſolidationem ſuadent; facile tamen patet hoc non fieri poſſe in ea ſpecie, quae vias ſeminales occupat.



CAPVT

CAPVT IV.

EXCRESCENTIAE.

CCCLX.

Excrescentiae *ſunt* tumores ſolitarii, lente et ſine dolore increſcentes, coeterum immutabiles, cuti concolores, vbi cute teguntur, plus minus duri ſaepiusque immobiles, a moleculis ſolidi vel fluidi huic intermiſti morboſe auctis. *Sedem* conſtituit omnis pars organica, maxime cutis, panniculus adipoſus et compages oſſea. *Materia* differt ratione partis adfectae, vnde magna conſiſtentiae, coloris et indolis diuerſitas. *Principium* eſt ſucci nutritii, vt videtur, copioſior depoſitio et aſſimilatio in parte organica ob nimiam ſtaminum flexilitatem.

CCCLXI. Ingens horum tumorum familia haud incommode quidem *diſpertiri* poſſet in molliores, quo lipomatoſi et ſarcomatoſi, pertinent, et duriores ſeu oſteomatoſos. Praecipua vero vtriusque genera habentur. *Lipoma*, *Sarcoma*, *Encanthis*, *Pterygium*, *Polypus*, *Epulis*, *Bicephalium*, *Natta*, *Condyloma*, *Sarcocele*, *Cercoſis*, *Clauus*, *Verruca*, *Naeuus*,

Fungus articuli, *Hyperſarcoſis*, *Exoſtoſis*, *Racchiiis*, *Lordoſis*, *Tophus*, *Gummi*, *Hyperoſtoſis*, *Teredo*, *Paedarthrocace*, *Oſteoſarcoſis*.

Lipoma.

CCCLXII. Lipoma *eſt* tumor ſolitarius, mollis, inaequalis, indolens, immobilis et planus, a morboſo pinguedinis ſanae in loco ſingulari augmento. Diſtinguitur in Lipoma *adipoſum* et *ſarcoticum*; in poſteriore pinguedini ſubſtantia carnis fungoſae aemula admiſta eſt, vnde conſiſtentia durior. Lipoma reſolutioni ſemper reſiſtens neque ſuppurationm admittens, ſi mole moleſtum eſt, ſola *exſtirpatione* remouetur. Quippe mere adipoſum, ſimplex, pyriforme, paruum, ligatura circa baſin ex arte conſtricta ſine periculo neque difficulter ad ſeceſſum deducitur. Latiori autem baſi praeditum, etiam ſarcoticum, deſciſſa cute tuto ſeparatur, niſi nimis magna obſtet moles. In reliqua vulneris curatione ad eius magnitudinem et ſymptomata reſpicitur.

Sarcoma.

CCCLXIII. Sarcoma *eſt* tumor ſolitarius, cuti concolor, tarde increſcens, variae figurae

et

et magnitudinis, interdum penſilis, neque raro ſtupendae molis, ad tactum aequabilis et duriuſculus, indolor, a materiae carnis aemula prognatus. Reſolutionem haud admittens neque ſuppuratione digerendus praeter eas, quas vel ſitu vel mole creat, moleſtias ſuccique nutritii detractionem vix vllum *nocumentum* adfert, niſi vel maligni quid ſibi coniunctum habeat vel irritationem patiatur: in priore caſu in vlcus fungoſum aut ſerpens, aut cancroſem facile tranſit, in poſteriore vero inflammatio partes adiacentes corripit, ſaepe in ſuppurationem gangraenamue abiens. Sarcoma moleſtum ſola exſtirpatione *curatur*. Haec ſemper ferro tutiſſime peragitur, penſile vero, paruum, molle dolorisque expers ligatura etiam auferri poteſt. Morbi ab irritatione tumoris ſarcotici oriundi leuantur ſtimuli ablatione et conuenienti medela; certius tamen atque perfectius ipſa excreſcentiae exſectione tolluntur. Sarcoma in vlcus fungoſum aut ſerpens mutatum ferro, quousque licet, recidendum eſt, cancroſum vero carcinomatis Chirurgiam requirit.

Encanthis.

CCCLXIV. Encanthis *eſt* tumor paruus granuloſus, in cantho oculi interno bulbum inter et palpebram prognatus, ſaepe etiam ipſius carunculae lacrymalis excreſcentia, cuius duae ſpecies notantur: prior fungoſam, rubram et indolorem, poſterior ſolideſcentem albidam, interdum plumbei coloris, mori ſimilem, plus minus dolentem, interdum carcinomatis aemulam ſiſtit. *Curatio* chirurgica in excreſcentiae ablatione poſita eſt, quae quidem in priore ſpecie cathaereticis rite adplicatis ſuccedit, petiolatum tamen ferro vel ſaltem ligatura tollere praeſtat; altera autem filo ſerico aut hamulo attracta praecidenda eſt.

CCCLXV. Simile fere Sarcoma oculi in cantho minori obuium, bulbo ipſo vel palpebris adhaerens Encanthis rationem ſequitur.

Pterygium.

CCCLXVI. Pterygivm *eſt* excreſcentia ad canthum oculi, ſaepiſſime maiorem, alae expanſae figuram referens, verſus corneam ſeſe extendens vel aucta totam anteriorem bulbi faciem

em obtegens, modo membranae tenuioris, modo textus adipoſi ſpeciem ferens, neque infrequenter vasculoſa aut vaſis ſanguiferis varicoſis referta, in ipſum denique cancrum interdum degenerans. Quae excreſcentiae, ſi tenuiores fuerint, cauta cathaereticorum applicatione *delentur*, denſiores vero ſcalpelli operam poſtulant. Pterygio enim prope ortum ſuum hamuli ope eleuato filum ſericum acu perducitur, quo arrepto et leniter attracto membrana reſecatur probe cauendo ne caruncula lacrymalis vel cornea laedatur. Reliquiae exſiccantium vſu ſoluuntur. In vaſculoſis ſaepe ſufficit canales Pterygio nutrimentum adferentes forfice praecidiſſe vel ligatura intercepiſſe. Cancroſa huius excreſcentiae degeneratio communem carcinomatis curationem requirit.

Polypus.

CCCLXVII. Polypus *eſt* excreſcentia petiolata modo lente, modo celeriter prognata, indolor, albida aut rubicunda, aequabilis, ad tactum duriuſcula, vel ſimplex vel multipertita, naſo interno infeſta eiusque cauitatem

plus minus opplens. *Sedes* in vniuerſum eſt membrana pituitaria, quousque expanſa patet: hinc Polypos in omni caui naſalis ambitu inque ipſis ſinubus frontalibus, maxillaribus et ethmoideis ſuboriri poſſe experientia docet; ſaepiſſime tamen occurrunt in media aut inferiori dicti caui parte. Certa *materiei* notitia deſideratur; videtur eſſe ſerum inter tenuiſſimas membranae pituitariae cellulas effuſum inque maſſam ſolidam mucoſo corneam concretum. Vnde liquet *principium* morbi quaerendum eſſe in membrana iſta pro parte relaxata inque ſeri viſcidioris appulſu. Aut ſitu aut mole aut vtroque ſimul *nocet* Polypus: opplendo nares olfactus, reſpirationis et vocis integritatem laedit: mole auctus naſi difformem dilatationem oſſiumque diaſtaſin creat: per aperturas poſteriores naſales emergens deglutitionem et reſpirationem difficilem reddit, deinde plane intercipit hominemque ſtrangulando trucidat.

CCCLXVIII. Similia (ccclxvii) alii quoque inducunt morbi narium, Hygroma, Sarcoma ac fungus ſimplex aut carninomatoſus, qui quidem tumores cum genuino narium Polypo vulgo con-

confundi ſolent, eſſentialiter tamen ab eo differunt ſignisque gaudent diagnoſticis, Chirurgo attento non facile praeteruidendis.

CCCLXIX. Polypi genuini *curatio* nulla datur alia quam exſtirpatio. Quae facilis eſt, quoties tumor in infimo vel medio cauo naſali reſidet anteriorique parti ſimplici petiolo adhaeret: difficilius ſuccedit, vbi multipartitus aut profundus eſt: difficillima denique et anceps eſt, ſi radices ſinuum naſalium labyrinthos perreptant. Primi quidem Polypi exſtirpatio parum negotii faceſſere ſolet; at difficulter plerumque renaſcenti malo paratur medela. Male autem tentatur Polypi ablatio ſcarifatione, praeciſione, aduſtione, corroſione, quippe quibus ſingulis aegroto inutiles vel periculoſae creantur moleſtiae. Efficacior equidem eſt euulſio, vtpote feliciorem tumoris eradicationem promittens, at vero non ſolum dolores, verum etiam ob haemorrhagiam non facile conpeſcendam periculum ſecum vehit. Vnde methodus, qua tumor ligatura conſtringitur, tamquam leniſſima ſimul et tutiſſima, reliquis praefertur, dummodo inopportunus excreſcentiae ſitus eam haud excludat.

cludat. Quodſi vero alterutri caui naſalis lateri adhaeret Polypus, mox apto inſtrumento atque prudenti encheireſi ſoluendus eſt, quo vel vinculo circumiiciendo vel euulſioni locus concedatur.

CCCLXX. Recentissimam autem rationem Polypi *ligaturam* inſtituendi, qua nempe huius radix filo ductili argenteo vel aureo, vel commodius chorda, proprii inſtrumenti ope circumiecta, lente conſtringitur, vetuſtioribus palmam praeripere ex ipſa artificii ſimplicitate patet. Pedunculum autem tumoris vinctura coarctandum eſſe ratio quidem poſtulat: attamen ligaturam radici propinquiorem ſaepe ſufficere experientia docet. Ex ligati vero Polypi ſubſequens intumeſcentia dolorifica cum coloris in fuſcum mutatione cognoſcitur iuſtus adhibitae ſtricturae gradus: horum ſignorum abſentia, tumorisque denuo flaccidi pertinax adhaeſio indicant arctioris vinculi neceſſitatem. Quod ſi tum ſuperuenerit ſuppuratio, nexus diſſolutio iam inſtat, prudenti tumoris attractione accelerанda.

CCCLXXI.

CCCLXXI. Ad *euulſionem* quod attinet, huius neceſſitas occurrit, quoties Polypi moles cauum naſale exacte opplens aut nimis profunda eius radicatio ligaturam non admittit. Peragitur autem forcipe retuſa, commoda, qua tumor probe comprehenſus circumducendo et torquendo blande attrahitur, donec fracta radice totus erumpat. Polypus retro pone vuulam in fauces propendens volſella curua comprehenſus ſimili encheireſi euellitur, ſollertiſſime tamen cauendo ab vuue aut veli penduli inconſiderata laeſione. Dicti vero veli diſſectionem momentoſa excreſcentiae retro haerentis et opertae moles nonnumquam neceſſariam reddidit. Euulſio Polypi integri nares ac fauces ſimul opplentis per fauces, ceu largiorem viam felicius fieri videtur, ſicut etiam experientia euicit, Polyporum molem, vtcumque multipartitam, vnico ſaepiſſime petiolo adhaerere. Sanguinis profluuium, indiuidua huius operationis ſequela, interdum vel ſponte ceſſat, vel hauſto per nares vino rubro frigido ſimplici vel alumine impraegnato pacatur. Grauior autem haemorrhagia ſtyptica potentiora poſcit, linamentis carptis

conglomeratis excipienda, quibus nasi cauum sanguinem fundens exactissime opplendum est: glomer tamen primum immissus filo firmiore e nare propendente instruatur, quo facilius tandem educi queat. Sanguis per nares posteriores fluens optime cohibetur setaceo, in media sua parte glomeribus lineis crassis instructo et liquore styptico imbuto, quod per fauces et nasi cauitatem ita transmittendum est, vt glomeris linei ope apertura posterior sanguinem fundens, quantum fieri potest, claudatur. Vlterior curatio desideratur nulla; laudatur tamen ad accelerandam, vt aiunt, conglutinationem, liquidum leniter septicum, turundulis exceptum et naribus per aliquot dies prudentur immissum, qua methodo facile etiam recidiuo huius morbi efficater occurri putatur.

CCCLXXII. Hygroma nasale, mucosum, paruum, rotundum, propendens, iterato incisum et exsiccantibus adhibitis non raro tollitur, magnum e contrario in latitudinem atque intra sinus nasales difficulter omnino et vix perfecte sanatur.

CCCLXXIII.

CCCLXXIII. Fvngi simplicis, Steatomatum et Sarcomatum nasi euulsio numquam tuto tentatur; ligatura autem hi tumores sine periculo exstirpantur, quando indolores in anteriore et inferiore cauitate nasali siti gracilique pedunculo praediti sunt; largiores e contrario, dolorosi eque altiore parte prognati, ferramento caute ab osse resoluantur, dummodo via ad eorum radices patet, quae ipsius etiam nasi dissectione congrua, postulante necessitate, paranda est.

CCCLXXIV. Tvmores duri vel etiam cruenti, dolorifici, inaequabiles, liuidi, naturam carcinomatosam prodentes, huius mali rationem sequuntur adeoque nulla medicatione chirurgica tuto tentantur; parui tamen et in limine fere aperturae nasalis exorti matura exstirpatione omnino tolluntur.

Epulis.

CCCLXXV. Epvlis *est* excrescentia carnosa in gingiuis potissimum enata, plerumque indolor, interdum callosa vel cartilaginea alias mollis, sensim in maiorem molem aucta, masticationem et loquelam impediens, in cancrum non

raro

raro degenerans, cariemque ſaepe inducens. *Curatur* iisdem methodis ac Encanthis (CCCLXIV).

Bicephalium.

CCCLXXVI. BICEPHALIVM *eſt* tumor capiti accretus, ſaepe ſarcoticus interdum lipomatoſus, figura et mole alterum caput referens, effectibus ac curatione cum Sarcomate (CCCLXIII) vel Lipomate (CCCLXII) conueniens.

Natta.

CCCLXXVII. NATTA, eſt excreſcentia a Bicephalio ſede tantum diuerſa, vtpote e dorſo propullulans et petiolata, ligatura aut ſcalpello remouenda.

Condyloma.

CCCLXXVIII. CONDYLOMA *eſt* excreſcentia cutanea oblonga vel expanſa, fico aut criſtae gallinaceae ſimilis, in podice vel pudendis obuia, plerumque dolorifica, a viru venereo, papillarum neruoſarum repagula deſtruente oriunda. A Marisca *dignoſcitur* ſede, figura irregulari, preſſu haud mutabili, ſtructura vt plurimum fungoſa, ſuperficie non raro foedum ichorem fundente,

dente, ſymtomatibus venereis concomitantibus. Per ſe moleſtiam magis quam periculum creat; cauſſa tamen virulenta maxime eſt metuenda. Vnde in *curatione* potius ad fomitem reſpiciendum eſt, quo rita medicatione deleto ſponte exſiccabitur condyloma, ſin minus, cauſticis aut ferro adiuuanda eſt therapia interna.

Sarcocele.

CCCLXXIX. Sarcocele vulgo Hernia carnoſa *eſt* mutatio teſtis totalis vel partialis in ſubſtantiam ſolidiorem carnis aemulam. *Cognoſcitur* haecce degeneratio ex tumore lente quidem, ſed ſine dolore partis adfectae, neque ad valde notabile molis augmentum aut figurae natiuae alienationem increſcente, ſolito tamen ſolidiore. Per ſe quidem irreſolubilis atque immutabilis eſt, neque niſi mole et funiculi ſpermatici tenſione nocet.

CCCLXXX. Sedvlo *diſtinguenda* eſt Sarcocele a Scirrho teſticuli, vtpote mole, figura et ſoliditate multo magis a Naturae norma aberrante exque plane diuerſo principio, ſi ſimplex fuerit,

fuerit, oriundo. Induratio teſtis, inflammationis ſoboles, reſolutionem admittit, praecipue ſi a cauſſa venerea natales traxit; verus autem Scirrhus communem huius mali indolem ſequitur eiusque malignitatem prodit ſi principium carcinomatoſum ei iunctum eſt: certius quidem ſemper in proprio teſtis corpore, quam in epididymide. Verum enimuero obſeruatio docuit ſarcoticum teſtis tumorem genuinum ſuaque indole immutabilem per accidens ſaepius deprauari vel per vim externam vel per tenſionem funiculi ſpermatici diuturnitate omnino nociuam, vel denique per ſcirrhum ſucceſſiue coortum. Quae quidem deprauatio atque combinatio cognoſcitur ex accedente ſenſu doloris, a ſola funiculi tractione haud explicando, pungente, lancinante, vrente, iuncto cum inſueto duritiei, molis atque deformitatis incremento. Tunicam vaginalem et albugineam ſaepius in ſarcoma increſcere, ipſa teſtis ſubſtantia minus degenere, experientia euicit. Lipoma ſimplex et ſarcoticum teſtem inter et epididymidem, vel in tuni-

ca

ca vaginali prioris obortum, ſarcocelen interdum mentitur. Teſtis vel epididymidis indurationem cum hydrocele coniunctam eſſe, vulgatiſſimum eſt; ſarcocelen vero genuinam tale connubium iniiſſe et *Hydroſarcocelen* formaſſe, nulla certa obſeruatione conſtat. Epididymidis intumeſcentia cum duritie inſolita, a tranſitu ſeminis per vas deferens impedito, *Spermatocele* audit, ipſius teſtis obſtructionem ſucceſſiue creans, vnde morbi ſequuntur pro circumſtantiarum diuerſitate modificati. A teſtis obſtructione ſaepius ſuboritur ſymptomatica funiculi turgeſcentia, plus minus craſſa, ad tactum mollis atque anfractibus undique interſtincta, Ramex varicoſus aut *Cirſocele* nuncupata, a vaſorum ſpermaticorum debilitate morboſa ortum trahens. Sanguinis a teſte redeuntis diuturna remoratio venarum ſpermaticorum debilitationem varicoſam aut Cirſoceles ſpeciem creat, in ſiniſtro latere ſolemniorem, varios ipſius teſtis adfectus inducentem. Lipoma in funiculi ſpermatici tunica vaginali ſubortum, ſitu, intumeſcentia, mollitie herniam omen-

omentalem mentiens, *Liparocele* ſalutatur, incommodum quidem ſed numquam periculoſum. Scirrhoſa teſtis degeneratio ad funiculum interdum adſcendit, huncque corripit, tumorem durum, inaequabilem, dolentem, ominoſum certe morbum, inducens.

CCCLXXXI. Sarcocele genuina et ſimplex ſua indole inſanabilis eſt, mole tamen moleſta et funiculi ſpermatici diuturna tractione nocitura fulcitur apto commodoque ſuſpenſorio. Induratio teſtis, phlogoſeos ſequela curatur vapore acido parti adfectae ſaepius admiſſo atque emplaſtro gummoſo, penetrante, valide digerente, poſt balneum vaporis tumori impoſito, qui ſuſpenſorio deinde ſuſtentandus eſt, ne funiculi tenſio reſolutionem impediat: quodſi vero cauſſa venerea ſubeſt, remedia huic labi conuenientia in vſum vocentur. Scirrhus teſtis verus, quieſcens et mitis, nulla curatione externa tentandus eſt; deſiderat tamen aſſiduum ſuſpenſorii fulcimentum omnisque ſtimuli vitationem curioſiſſimam. Lipoma funiculi ſpermatici ſimplex

plex vel ſarcoticum, moleſtum nullam aliam ſanationem admittit quam exſtirpationem cruentam, ſumma tamen cum cautela, ne partes adiacentes laedantur, peragendam. Spermatocele vera deſiderat ablationem impedimenti, quod ſeminis tranſitum praecludit, ſola quidem curatione chirurgica raro obtinendam: humorum motui in teſte ipſo ſymptomatice laeſo occurritur fotu relaxante prudenter adhibito ſuſpenſorioque commodo. Sympathica vero funiculi turgeſcentia, a diuturniore teſtis tumore nata, huius morbi conditionem ſequitur, neque niſi eodem debellato ſanatur. Ramicis denique varicoſi a morboſa ſanguinis venoſi accumalatione orti curatio medicamentis topicis valide adſtringentibus et roborantibus tentetur; in ſtatu autem grauiore et doloroſo ad varicum diſſectionem, ſcroto in anteceſſum caute aperto, recurrendum eſt. Vtramque tamen medelam in pertinaciſſimo hocce morbo ſaepiſſime irritam eſſe, triſti experientia conſtat. Teſtis ſcirrhoſus non ſolum moleſtiam, verum etiam dolorem atque periculum creans vnicum adgnoſcit remedium, exſtirpationem nempe, quam hic Caſtrationem dicere

amant. Crudelis tamen et momentoſa anceps-que iſta operatio non niſi vrgente neceſſitate inſtituenda eſt: neque ad eam ſine temero auſu recurritur quoties vires aegroti aetate aut morbo iam ſunt fractae, vel ſcirrhoſa funiculi ſpermatici labes annulum attingit vel altius adfecto dolor lumbaginis aemulus indicare ſolet.

CCCLXXXII. Ipsa autem *caſtratio* ſequenti modo abſoluitur. Scrotum ſectione longitudinali ab annulo ad alterum tumoris extremum audacter deducta aperitur. Sanguinis profluuium modum excedens notabiliorum arteriarum ligatura ſupprimitur. Integumentorum inciſorum angulus ſeparatur quatenus ad detegendum funiculi adfecti tractum neceſſe eſt. Filum ceratum arte contextum pauloque latius, per ipſam funiculi compaginem, inter vas deferens et vaſa ſanguifera acus curuae ope traiicitur, ſuſceptaque vaſa interpoſito linteolo molliori vel mox conſtringuntur et infra ligaturam ſimul cum vaſe ſeminifero reſecantur, vel quod praeſtat, funiculus liber ſtatim in parte ſana praeciditur. Nerui ſeparatio, inanis certe labor, tutius omittitur. Poſterior teſticuli diſſoluti facies dein-

deinde a ſcroto caute ſeparatur et vna cum adhaerente vitiata funiculi impoſitaque ſcroti parte, haud omiſſis huius reliquiis inutilibus et vulneris ſanationem retardaturis, reſcinditur. Quum a funiculo rita ligatura conſtricto omne haemorrhagiae periculum abſit, vulnus non niſi linamentis carptis mollioribus impleatur, impletum et linteo duplicato triangulari tectum faſcia, quae a litera T nomen habet, deligetur. Haemorrhagia e vaſis ſpermaticis apertis et liberis procedens, dum modica eſt, minime ſiſtatur; quodſi vero profuſior eſt, trito inter digitos extremo tumore compeſcitur, ſin minus, compreſſio funiculi ad pubem ope ſpleniolorum triangularium magnitudine gradatim auctorum, faſcia quae ſpica dicitur, vel digitis firmatorum inſtituenda eſt. Qua etiam, quod rarum, incaſſum adhibita, vltimum at certum auxilium erit ligatura. Apparatus, ſi ſcopum attingit, intactus relinquitur, donec oborta ſuppuratio eius mutationem poſtulet, neque amplius immineat haemorrhagiae periculum. Compreſſio aberrans illico diligentius reſtauretur: inſufficiens autem tempeſtiuae ligaturae neceſſitatem parit,

quo nempe ſcopo filum ante transſciſſionem traiectum et relictum erat. Reliqua demum vulneris curatio chirurgica pro ratione ſymptomatum ſubſequentium adornanda eſt.

Cercoſis.

CCCLXXXIII. Cercosis *eſt* excreſcentia molis maioris, aequabilis, mollis, pyriformis et indolor ſaepe ſarcotica, interdum lipomatoſa, ex vtero vel vagina propendens, caudam carneam fere referens. *Sedes* ſolemnis eſt vteri fundus, rarior collum, rariſſima orificium: ſarcoma vaginale, labis venereae plerumque proles vulgata ſat facile deprehenditur. *Materia* eſt ſubſtantia mollis, vaſis ſanguiferis referta intra conſiſtentiam carnis et fungi media, interno vteri vel vaginae tegumento obducta. Omnem Cercoſin, multifida, quae tamen rarius occurrit, haud excepta, vnico tantum petiolo radicali certa conſtat experientia. *Fundi* autem *vterini* excreſcentia orificium transgreſſa ſanguinis ſtillicidio ſtipatur, a perpetua ſtrictura tumoris venas comprimente oriunda. Cognoſcitur tum tactu, digito puta corporis mollis, pyriformis ſolitarii, orificium vteri quoad figuram

ram immutatum libere intrantis praeſentiam facile indagante, tum diuturno et fere perpetuo ſanguinis ſtillicidio. Quae in *ceruice* vteri enata eſt, Cercoſis nullam ſanguinis profluuium ſecum vehit, cuius adeoque abſcentia, ſimul cum certa orificii vterini verſus poſteriora tractione in dictae originis coniecturam ducit, vlteriore et attenta exploratione confirmandam. Ipſius denique *orificii* vterini Cercoſis ob compreſſionis abſentiam largiore baſi radicata facillime cognoſcitur obliqua huius oſtii diſtractione, tumoris ponderi tribuenda, iuncta cum aperturae eius immunitate. Sarcoma vaginale e rugoſa vaginae tunica, baſi plerumque latiore exſurgens et integritatem orificii vterini nullo modo laedens, digito ſcrutante ab vterinis haud difficulter diſtinguitur. Vnde patet quomodo ſarcoma vteri et vaginale dignoſcantur ab inuerſione prolapſu herniisque in vagina obuiis, aque ipſa Clitoridis excreſcentia, quae non adeo portentoſa, quinimo in quibusdam regionibus, ſi auctoribus credendum, endemia, Cercoſi adnumerata eſt. Liquet etiam, Cercoſin vel ſitu vel mole vel vtroque *nocere* poſſe: vterinam quidem

 con-

conceptui, vaginalem, grandiorem maxime, partui quinimmo coitui obſtare vulgatiſſimam denique, ex ipſo vteri fundo prognatam ob ſociam et indomabilem ſanguinis iacturam tandem fieri lethalem conſtat. Cercoſis ſarcomatis naturam ſequens et immutabilis nulla alia ratione ſanatur quam exſtirpatione chirurgica; quamquam obſeruatione compertum fuerit, illam, quae fundo uteri inhaeret, ſponte ſubinde ſecedere. *Curatio* huius mali perperam vel cum periculo aegroti tentatur praeciſione, corroſione, tum maxime euulſione: tutiſſime autem ſuccedit certa tumoris conſtrictione, vincula verſus eius baſin, quod altius fieri poteſt, ex arte circumiecto.

Verruca.

CCCLXXXIV. VERRVCA *eſt* excreſcentia cutanea, vix ſenſibilis, interdum petiolata, modo ſolitaria, modo gregalis, varias corporis partes infeſtans, ſaepiſſime a labe locali, interdum tamen à vitio humorum orginem ducens. *Curatio* vel exſtirpationem ligatura, volſella, cultro, cauſticis prudenter admiſſis, praeſtandam,

ſym-

ſympatheticis auxiliis haud raro ſuccedentem, vel humorum ſimul correctionem exigit.

Clauus.

CCCLXXXV. Clavvs eſt excreſcentia calloſa dura, pedum digitis fere priua, in centro callum duriſſimum gerens, ex cuticula ad tendines quinimo perioſteum penetrans, ſummum dolorem creans, a preſſione digitorum plerumque natales trahens. Qua vitata facile auertitur; iam vero eminens balneo, emplaſtro, alioue adplicato relaxante emollitur, ſcalpelloque caute raditur, donec nuclei extractio ſuccedat: reuertens denique ſub repetita curatione paullatim emoritur. Nonnulli veſicatorio et ſuppuratione ſuſtentato malum eradicare ſatagunt.

Naeuus.

CCCLXXXVI. Naevvs *eſt* exreſcentia congenita, indolor, ſubrotunda, interdum verrucoſa, piloſa, varia quandoque repraeſentans: eodem tamen nomine etiam venit ſimplex cutis decoloratio congenita maculam referens, ſtatis temporibus decreſcens iterumque recurrens. Vtrumque vitium, prius ſaltem, ſi vel mole vel

deformitate iniuriam infert, aut ferro exſecandam aut cauſticis conſumendum eſt.

Fungus articuli.

CCCLXXXVII. Fvngvs articvli vel Lupia iuncturae *eſt* tumor articularis, genu maxime infeſtans, lentus, perennis, diffuſus, pallens, ad tactum fungorum in modum inaequabilis, plerumque elaſticus, nulla preſſione mutabilis, indiciorum materiae fluctuantis expers, motumque cum dolore laedens. *Sedem* mali conſtituunt expanſiones membranaceae et ligamentoſae articulum circumdantes, vnde iſte quaquauerſum intumeſcit ipſamque poplitis lacunam opplet. *Principium* eſt ligamentorum articularum, capſulae et membranarum adiacentium peculiaris reſolutio ab ipſius telae celluloſae interſtratae et intime contextae alteratione oriunda, unde denſarum harum partium turgeſcentia laxa inque fungoſam quaſi ſubſtantiam degeneratio. Vel *idiopathicus* eſt fungus articuli, e cauſſis abſtruſis ſarcomati forte communibus naſcens: vel *ſymptomaticus* a laeſione externa aut per translationem alicuius morbi affinis, Rheumatismi potiſſimum, procedens. Varias

autem

autem inducit *noxas:* articuli debilitatem, rigiditatem vel incuruationem: tumoris augmentum dolor ſequitur, noctu, frigore, temporis iniuria exacerbatus, ad quemlibet articuli motum acutiſſimus, tum quoque venarum circa hunc ludentium varicoſa, glandularumque eiusdem lateris veluti ſcrophuloſa intumeſcentia. His ſuperuenit tandem totius membri macies, corruptio tumoris fungoſi in colliquamentum acre, articulum partesque vicinas cum immaniſſimo dolore depaſcens, et aegri tandem tabida confectio. Difficillimam eſſe genuini fungi articularis ſanationem ex perſpecta eius natura prono fluit ratiocinio, ancipitemque eiusdem *euentum* triſtis experientia confirmat. Minora tamen obſtacula periculaque creat ſymptomaticus quam idiopathicus; ceteris ſaltem domabilior eſt is qui a laeſione externa ſuboritur. Qui Rheumatismo ſuperuenit, vago dolore liberans, morbi primarii medelae interdum cedit. Fungus mollis, lente increſcens, doloris expers, in corpore ceterum ſano diu ſine vlteriore noxa perſiſtere poteſt: vetuſtus autem, dolore acerbus, in vlcerationem aut in colliquamentum acre articulum

partesque vicinas corrumpens pronus, ex parte iam résolutus, ad omnem leniorem medicinam rebellis eſt et duram amputationis neceſſitatem inducit. Morbi *curationem* quod ſpectat, duplex hic datur indicatio: humores praeter naturam adfluentes mature atque efficaciter ad locum opportunum ſunt deriuandi partesque ligamentoſae membranaceaeque, tela celluloſa fungoſa penetratae laticem recipientes, nouo robore firmandae. Priori ſcopo ſatisfacit Chirurgia vlcere in vicinia tumoris excitato, profundo inque copioſa ſuppuratione vltra perfectam morbi ſanationem ſuſtentato: alterum praeſtat fotu ſpirituoſe aromatico, penetrantiſſimo, diſcutiente et roborante, etiam Aeolipilae miniſterio diligenter adplicando, vel embrocha exſiccanti, ſalina, acida, ſaturnina, vel denique fortiter adſtringente, vitriolata aut aluminoſa. Fungi vero articularis diſſectio male ſemper ſuccedit, cariemque vlcera ſinuoſa, pertinaciſſima quid? quod ipſam Gangraenam creare ſolet.

CCCLXXXVIII. Alii autem dantur adfectus, fungum articuli mentientes. Tumor genu ab effuſione ſeroſa ſub faſcia lata articulum arcte

te cingente lente ſubnatus, diffuſus, aequabiliter tenſus dolore et motus laeſione minus moleſtus, vel etiam a ſero acri ſub aponeuroſi ad ſuperiorem patellae marginem congeſto ortum habens, profundus, doloroſior, ulcera artificialia veſicatorium et fotum efficaciter diſcutientem deſiderat. Qua ratione Hydrops articuli a fungo differat ex comparatis iis, quae (CCCXVII et CCCLXXXVI) diximus, eluceſcit. Tumor autem ex purulenta in cauo articulari congeſtione natus, exque ſignis praegreſſae inflammationis, ſuppurationis aut metaſtaſeos dignoſcendus, maturam puris emiſſionem poſcit, licetne haec quidem certam ſanationem promittat. Cyſtis vel Scirrhus circa articulum ſubortus, in poplite non adeo infrequens, exſtirpationem requirit, quae vero in hac parte, ſi qua alia, caute eſt inſtituenda. Racchitici, arthritici, podagrici iunctuarum tumores, vti et Paedarthrocace, certiſſimis ſuis ſignis a fungo nonniſi articulari facile diſtinguendi, morbo, e quo fluunt, ſublato tolluntur.

Hyper-

Hyperſarcoſis.

CCCLXXXIX. Hypersarcosis *eſt* excreſcentia rubra, mollis et fungóſa in vlceribus impuris et oſſibus corruptis imprimis obuia, cathaereticis atque ſectione auferenda. Excreſcentiae durae matris fungoſae a violentia externa interdum ab acrimonia humorum, ſyphilitica maxime originem ducentes, lente cranium diſſoluere et tumorem externum formare posſunt, qui cuti concolor, mollis, immobilis eſt, ſaepe etiam pulſationem habet tumoremque aneurysmaticum mentitur, margine oſſis diſſoluti vtplurimum tactu percipiendo, dolores crudeliſſimos, compreſſi cerebri ſymptomata ſucceſſiua, certam denique mortem adfert, niſi integumentis reſectis margo oſſis trepani ope auferatur; tunc demum ipſius excreſcentiae deſtructio cultro, ligatura, cauſticis ſtypticis, prout res exigit, molienda eſt.

Exoſtoſis.

CCCXC. Exostosin in vniuerſum *vocant*, tumorem durum, ex ipſa oſſis ſubſtantia, multiplici modo vltra definitos limites adaucta enatum; magna autem hic datur differentia. Etenim

nim non ſolum vel *vniuerſale* eſt vitium, omnium nempe oſſium compagem adauctam ſiens, quod vel particulare, in ſingulis maiorum partibus obuium; verum etiam quoad cauſſam toto coelo differt, fibrarum oſſearum debilitas vel cum ſucci nutritii vel cum humoris acris congeſtione coniuncta eſt. In priore caſu morbus exquiſitae exoſtoſeos nomen meretur: praeſente vero acrimonia et inde pendente oſſis corruptione vel vario alio adfectu ex communi cauſſa deriuando Racchitidem, Tophum et reliquas oſſium excreſcentias conſtituit, quarum quidem pleraeque forte aequo iure ad mala ex ſaluto continuo oriunda referri poſſent, hic tamen propter communem intumeſcentiam ſatis commode ſimul cum reliquis pertractantur.

CCCXCI. Genvina itaque Exoſtoſis mihi eſt tumor ſinguli oſſis vel plurium, duriſſimus, indolor, pro diuerſa debilitatis fibrarum et preſſionis partium adiacentium gradu volumine et figura varius, lenta incrementa capiens ſuaque natura immutabilis pariter ac innocuus, ſitu tamen, mole aut figura nonnumquam functiones partium vicinarum diuerſimode laedens quin-

immo

immo obſcuriſſimos planeque immedicabiles morbos inducens. Quamdiu haecce increſcentia nullam parit noxam, intacta relinquenda eſt; iniuriam autem iam inferens exſtirpanda eſt, quod quidem, praemiſſa congrua partium in cumbentium diſſectione vel ſerra vel cuneo et malleo prudenter peragitur. Exſectionis denique veſtigium ad exfoliationem vulnusque ad conſolidationem artis auxiliis deducendum eſt.

Racchitis.

CCCXCII. Racchitis *eſt* morbus compoſitus ad deformitates referendus, inter cuius ſymptomata characteriſtica haud infimum locum tenet dura oſſium in articulos coeuntium intumeſcentia, media illorum parte potius emollita adeo vt nonnumquam ceream flexilitatem monſtrent. Carnes ſimul marcent et flaccent, cutis, excepto abdomine et capite laxata eſt et rugoſa, caput in maius volumen excreſcere videtur, facies plenitudinem adfectat, ſternum protuberat lateralibus pectoris partibus compreſſis, abdomen intumeſcit, vires corporis lumborum potiſſime, languent, vnde ſegnities ad motum, praeſente tamen praecoci ingenio et iudicio,

viuida-

viuidaque ciborum cupidine. Morbus vel tenellos inuadit infantes, dentitionem mire retardans, aut pueros corripit, dentes tunc cariosos reddens; saepissime intra tertium vel sextum aetatis annum euanescit, rarius ad duodecimum excurrit, rarissime per totam vitam protrahitur. *Principium* in specifica humorum labe, qua particulae terreae absorbentur, solida in vniuersum debilitantur, scrophulosae adeoque aliquatenus analoga, consistere videtur. *Caussae* hunc morbum inducentes variae sunt: parentes Venere, aetate exhausti, cacochymia, syphilitide maxime, laborantes infirmam inque Racchitidem pronam procreant sobolem: nutrix similibus vitiis adfecta, potui spirituoso vel victui acescenti indulgens, lactis inops, farinacea cruda, saccharina, in acorem degeneratura, glutinosa, spiritus ignobiliores, sorbillitiones debilitantes, vel ambulationes praecoces vel iusto parciorem corporis motum pusioni concedens, sub ipsa lactatione cum viro congressa, immatura denique ablactatio, praegressis potissimum conuulsionibus, malo ansam praebet. Mutationes autem ossium a malo racchitico oriundae et ad

prae-

praeſentem conſiderationem maxime facientes in genere hae ſunt: compages oſſea molleſcit, hinc muſculorum actio corporisque pondus varias inducit curuaturas, anguli eminentiaeque complanantur vel rotundantur, extrema articularia intumeſcunt, ſuperficies externa inaequalitatem et incruſtationis ſpeciem contrahit innumerisque foraminulis ſaniem rubellam fundentibus notatur, colorem denique cineritium inducit, medulla ſimul fluidiore et abundantiore. In ſpecie vero dentium germina delentur, protruſi corrumpuntur, clauiculae, verſus ſternum praeſertim, inflantur et intorquentur, humerus vlna et radius verſus interiora flectuntur, manus et pedis digitorumue oſſa craſſa et tuberoſa apparent, collum femoris transuerſalem directionem conſequitur, genua ad ſe inuicem accedunt, tibiae fibulaeque extrorſum curuantur, peluis a debita forma aberrat, apertura ſuperiore anguſtatur, inferiore nimis ampliata vel vice verſa ſpina dorſi diuerſimodam flexuram adſumit, capitis denique moles aliquam deformationem patitur, quae omnia ſitu conſueto prauaque portatione et veſtitu inepto muſculorumque actione deter-

determinantur. Neque raro post morbum superatum remanent variae deformitates, in foeminarum peluibus varia partui obstacula parantes, claudicatio et similia, sicut etiam scrophulosi viscerum tumores, ciborum concoctionem, chyli elaborationem, respirationem laedentes, tristissimis saepe sequelis viam sternuut. Quoad *prognosin* notandum, ex maturiore morbi accessu, exque ossium carie et maiore curuatura ad peiorem illius indolem satis congrue concludi, sanationem, nisi ante septimum aetatis annum successerit, difficillime et vix absque superstite formae vitio obtineri, scabiem denique superuenientem bonum esse signum. *Curatio* solis interdum Naturae viribus perficitur; chirurgica autem auxilia potissimum versantur in superflui humoris euacuatione et solidorum corroboratione: postremo scopo balnea frigida, medicata, frictiones, prudensque corporis exercitium respondent Scabiei insitionem commendari legimus. Cariei therapia alio loco exponetur.

Lordosis.

CCCXCIII. Lordoses *dicuntur* curuaturae, atque gibbositates ossium trunci vel artuum, a

diuerſis, quas occupant, partibus diuerſimode denominatae. Sic alia eſt lordoſis ſpinalis, alia ſcapularis, ſternalis, coſtalis, peluialis. Racchitidis plerumque ſymptomata aut ſequelae, Natura medicatrice nonnumquam *ſanantur.* Chirurgi tamen prouidiſſimam ac indefeſſam expoſcunt curam, qui in gibboſis infantibus capitis moli ſpinam prementi idoneum paret ſuſtentaculum, ſitum corporis diurnum nocturnumque ita adornet, vt muſculi cum ligamentis ad reſtituendam priſtinam formam conſpirent, conuexi leuem iugemque compreſſionem, concaui ſuſtentationem procuret, ad digeſtionem et reſpirationem ſcrupuloſe ſemper reſpiciendo. Alii ex quotidiana corporis ſuſpenſione haud parum ſperant. Oſſium longiorum curuaturis apta ſuccurritur faſcia, tum maxime prudenti vitatione talis poſiturae, quo pondus corporis in partem deformatam agit. Neque vmquam negligenda eſt cauſſa latens. Vetuſtiores autem Lordoſes omnem fere reſpuunt correctionem.

Tophus.

CCCXCIV. Tophvs *eſt* tumor oſſis, partem ſanam duritie non aequans, planus, aequabilis, dolore

dolore molestus, in compactiore fabrica ossea enatus. Cuius *principium* est lamellarum superficialium successiua diductio, a congestione humoris vel sani, vel labe venerea, scorbutica, scrophulosa, cancrosa corrupti, ortum trahens. Pro varia principii conditione multiplex est Tophi differentia et *terminatio*: frequenter quidem resolutionem admittit, interdum vero in genuinam Exostosin (CCCXCI) transit, neque raro cariosus euadit, indomabili saeuitie aegrotum aliquando excrucians. Recentis *resolutio* adiuuatur medela principio eius speciali cognito propria atque medicamentis externis efficaciter discutientibus. Carioso communis corrupionis ossium tractatio competit.

CCCXCV. Ligamenti vel tendinis morbosa inflatio et induratio similem tumorem osseum aliquando mentitur, non nisi curiosissimo examine dignoscenda.

Gummi.

CCCXCVI. Gummi *est* tumor duriusculus, sed Topho (CCCXCIV) mollior, planus et aequabilis, circumscriptus, ossi proximus, saepe do-

lens, a viſcido humore in perioſteo vel in capſula peculiari collecto ortus. Dolore moleſtus et oſſis corruptionem minitans aut medicamentis externis efficaciter diſcutientibus, aut tempeſtiua vlceris inciſione et curatione ſanatur.

Hyperoſtoſis.

CCCXCVII. Hyperostosis *eſt* notabilior oſſis intumeſcentia, plus minus dura, inaequabilis et tuberoſa, vniuerſam interdum oſſium minorum compagem occupans, ſaepius tamen in ſpongioſi maioris extremis reſidens, a carne fungoſa et humore inter lamellas haerentibus exorta, nulla arte niſi membri adfecti amputatione *medicabilis.*

Paedarthrocace.

CCCXCVIII. Paedvrthrocace eſt intumeſcentia oſſis pueris, racchiticis maxime, familiaris, vniuerſam molem oſſis, adaugens in extremitatibus frequentior, ſpongioſa et inaequabilis, vix aut parum et obſcure dolens, ab humore morboſo intimam oſſis compaginem penetrante producta, in cariem proniſſima. *Sanationem*

tionem matura cauſſae correctio promittit, diſcutientibus et roborantibus externis ſimul in vſum vocatis.

Teredo.

CCCXCIX. Teredo, ſideratio, gangraena, cancer oſſis, recentioribus *Spina ventoſa*, eſt intumeſcentia oſſis, in minore quidem vniuerſalis, in maiore partialis, ſpongioſa, inaequabilis et mire tuberoſa, acerbos dolores creans, cum carie partiumqne incumbentium inflatione et exulceratione fiſtuloſa coniuncta, ab intimae compaginis oſſeae corruptione natales ducens. Diriſſimi huius mali principium eſt vel ipſius olei medullaris acrimonia, vel humoris ſtagnantis venerea, ſcorbutica, racchitica, ſcrophuloſa, carcinomatoſa labes, qua textus oſſeus corroditur, in putrilaginem conuertitur, inque monſtroſam molem et figuram expanditur. Interdum quoque parte oſſis emortua, reliqua viua et luxurians illam obtegit: haec oſſis in oſſe inuenti origo. Omnem autem atrociſſimi morbi differentiam hic exponere nimium foret. *Prognoſis* innititur cognito mali, principio gra-

dui et aetati. *Curatio* externa a cariei tractatione, ſuo loco dicenda, non recedit.

Oſteoſarcoſis.

CD. Osteosarcosis *eſt* dolorifica et luxurians compagis oſſeae degeneratio in ſubſtantiam mollem carni aut pinguedini ſimilem. Quod locale plerumque vitium in ſpongioſo oſſium textu maxime frequens, initio difficulter diſtinguitur, et in corruptionem carcinomatoſam proniſſimum ſola exſtirpatione matura *ſanatur*.

CDI. Affinis Oſteoſarcoſi morbus eſt vniuerſa fere *oſſium mollities* vel etiam liquefactio, cum racchialgia acerbiſſima et mira artuum contorſione totiusque corporis contractione ſucceſſiua. Inſolens, obſcurus truculentusque hic adfectus omnem medicationem ſpernit.

CDII. Intvmescentiae panniculi adipoſi, abdominis ipſiusque vteri, ab aëre rarefacto oriundae, *Emphyſema*, *Phyſocephalus*, *Bronchocele*, *Tympanitis*, *Phyſometra*, *Pneumatocele* vel certitudinis fundamento omnino carent, vel tamquam aliorum morborum ſymptomata ad horum conſiderationem pertinent.

SEC-

SECTIO II.

MARCORES ET EORVM THERAPIA.

CDIII.

MARCORES vocantur morbi quorum praecipuum ſymptoma conſiſtit in diminutione voluminis: cui quidem vitio omnea partes organicae, maxime tamen carnes et tela adipoſa ſunt obnoxiae.

CDIV. HORVM (CDIII) *principium eſt* detractio pinguedinis, vel ſucci nutritii, vel ipſius ſanguinis, cellulas aut vaſa in ſtatu ſano diſtendentis ſolidorumque iacturam reparantis. Quae eo conferunt, *cauſſae* triplicis generis ſunt: vel copiam humorum in vniuerſum minuunt, ſicut euacuationes nimiae, Veneres extenuantes, alimenti defectus, morbi praegreſſi, variae praeſertim adfectiones et vitioſitates, ritam chyli elaborationem, aut transmiſſionem, aut aſſimilationem laedentes: vel vires impellentes frangunt, quo ſimul cum prioribus pertinent ſenectus, languor et animi pathemata, deprimentia

dicta: vel localem reſiſtentiam pariunt, arteriam v. c. neruumue maiorem comprimendo.

CDIV. Vnde patet Marcorem vel *idiopathicum* eſſe vel *ſymptomaticum.* Diſtinguitur quoque in *vniuerſalem*, et *partialem*, inque *febrilem* et *non febrilem* Vtroque reſpectu poſteriore Marcores ſatis commode in tria diſpertiuntur genera, *Tabem* nempe, *Phthiſin* et *Marasmum*.



CAPVT

CAPVT I.

TABES.

CDVI.

Tabem *dicimus* marcorem corporis vniuerſalem (CDII) cum febre hectica, absque tuſſi et ſputo purulento.

CDVII. Inter cuius *cauſſas* frequentiores ſunt Venus immodica, lactatio nimia, Hydrargyroſis rigoroſior haemorrhagiae aliaeque euacuationes vberiores, moeror, obſtructiones viſcerum et glandularum, maxime abdominalium, peioris notae vlcera, ſuppuratio interna in vias aëriferas non penetrans, vomica pulmonalis integra, corruptiones oſſium, ſingularis aëris conſtitutio, miasma venereum, catarrhi, alui fluxus febres et alii morbi male curati. Vnde patet hunc morbum ſaepius eſſe ſymptomaticum atque ſecundarium, quam idiopathicum et primarium.

CDVIII. Periculosissimum et vix vmquam ſanabile malum Medicorum ſtricte ſic dictorum curae plerumque committi ſolet. Neque tamen

nihil hic promittit Chirurgia. Sic in tabe dorsali haud exiguam operam ferunt balnea: ad glandularem autem ea quoque, quae de Scrophulae et Scirrhi curatione (CCCXXII. CCCXXXI) diximus, sub prudenti restrictione adplicari possunt: vlcerosa et venerea sine auxiliis externis curari nequit: apostema, tristis huius morbi fomes, audacter incisum aliquando sanatum est. Vomicam non raro ad rupturam deducit vapor tussim ciens inspirando haustus.



CAPVT

CAPVT II.

PHTHISIS.

CDIX.

PHTHISIS *est* marcor vniuerſalis (CDII), non ſolum cum febre hectica, ſed etiam dyſpnoea tuſſi vtque plurimum ſputo purulento coniunctus.

CDX. CVIVS *cauſſa* ſemper eſt vlcus vel in ipſo pulmone vel in parte vicina haerens materiemque in bronchia transmittens. Hinc numquam fere idiopathica aut primaria eſt phthiſis, ſed alius morbi, maxime Peripneumoniae, Pleuritidis, Hepatitidis, Haemoptoës, variaeque metaſtaſeos ſequela.

CDXI. RARO quidem ſanationem admittit iſte morbus, quae tamen nonnumquam ſuccedit, egregie adiuuatur hauſtis vaporibus relaxantibus, emollientibus, leuiter ſtimulantibus, maxime vero fonticulis ad thoracem excitatis, qui in vniuerſum iure meritoque laudantur ad curandas ſuppurationes internas: eximium quoque vtilitatem habent parcae et repetitae ſanguinis detractiones.

CAPVT

CAPVT III.


MARASMVS.

CDXII.

Marasmvs seu Atrophia *dicitur* Marcor nulla febre, tussi aut sputo purulento stipatus. Vel *vniuersalis* est totum corpus extenuans, vel partialis ad certum quoddam membrum limitatus.

CDXIII. Marasmvs vniuersalis aëris insalubris, moeroris, vitii in canali alimentari,* obstructionis glandularis, senii aliarumque communium Tabis causarum proles, quoad curationem ab illa vix recedit. In ea specie, quae a denegato alimenti descensu oritur, clysmatibus forte etiam inunctionibus idoneis nutriendum est corpus.

CDXIV. Marasmvs *particularis* a locali resistentia membro adfecto proria, nerui nempe aut arteriae compressione vel obstructione originem plerumque ducens, hinc Paralyseos haud infrequens comes, obstaculi ablatione, si fieri potest, adhibitis deinde frictionibus, balneis cet. sanatur.



SEC-

SECTIO III.

RETENTIONES.

CDXV.

RETENTIONEM *dicimus* morbum, cuius praecipuum ſymptoma conſtituit defectus vel ſaltem imminutio vel difficultas excretionis cuiuſpiam naturalis. Vnde liquet inter omnes adfectus, qui ex impedito vel ſuppreſſo tranſitu naſcuntur, nullos dari, in quibus ipſum hocce principium tam euidens ſit inque ſenſus cadat, quam in praeſentibus. Patet quoque, ea, quae de *cauſſis*, *effectibus* et *therapia* vniuerſae huius morborum claſſis (CCLXXVIII - CCLXXX) diximus, maxime etiam de Retentionibus in genere ſpectatis eſſe ſubſumenda.

CDXVI. LATIORE quidem ſenſu Retentionibus haud immerito adnumerari poſſet quilibet partus laborioſus et impoſſibilis, difficilis vel denegatus calculi aliusue corporis alieni exitus, ſanguinisque menſtrui fluxus impeditus et alia nonnulla; at vero quum obſtetricia Chirurgiae pars inſtituti noſtri ambitum non ingrediatur,

calcu-

calculus alio loco conſiderandus veniat, menſtruorum defectus denique potius ad cauſſas morbificas vel ad aliorum adfectuum ſymptomata pertineat, illa forte catameniorum moleſta retentione, quam coalitus praeternaturalis, ſuo loco dicendus, infert, excepta, hic tantum vrinae atque fecum aluinarum impeditam emiſſionem pertractabimus, ſub *Iſchuriae*, *Dysuriae* et *Conſtipationis* ritulis comprehenſam.



CAPVT

CAPVT I.

ISCHVRIA.

CDXVII.

ISCHVRIA in vniuerſum *vocari* ſolet ſuppreſſio effluxus vrinae. Mali ſpecie cauſſisque diuerſiſſimi diſtinctionem optime ſuppeditat varia vrinae retentae et accumulatae ſedes: vnde triplex exponenda venit Iſchuria, *renalis* nempe, *vreterica* et *veſicalis:* quae enim *vrethralis* ſalutatur, omnino ad poſtremam pertinet.

Iſchuria renalis.

CDXVIII. ISCHVRIAM RENALEM, nonnulli dicunt ſuppreſſam vrinae in vno vel vtroque rene ſecretionem', morbum certe perrarum in ſola fere huius organi inflammatione reuera occurrentem neque, niſi vtrumque colatorium obſtructum fuerit, ex ſimplici mictionis defectu cognoſcendum, quum vno rene adfecto alter eius vices ſupplere ſoleat, ſicut etiam ſpasmus idiopathicus vel ſympathicus, altera ſollemniorque talis ſuppreſſionis cauſſa, cum aliqua conſtantia praecludit. Neque facile admitti poteſt

ple-

pletcora, lentor, paralyſis, integram canaliculorum vniuerſitatem obſtruens, vel tanta euacuationis alienae vbertas vt non habeant renes quod colent. Vnde eluceſcit quomodo malum, numquam non ſymptomaticum, dignoſcendum et curandum ſit.

CDXIX. Verioris autem nominis Iſchuria renalis *eſt* vrinae in vno vel vtroque rene retentio. Quae oboritur quoties conſtrictio ſpasmodica, tumor, vaſorum turgor, calculus, grumus cruoris, pus, mucus, lotii in pelui renali collecti deſcenſui in vreterem obſtat. Quum vero iſte adfectus non ſecus ac ſecretionis ſuppreſſio (CDXVIII) raro vtrumque renem inuadat, aeque abſonum foret, plenarium mictionis defectum hic exſpectare. Vnde in formanda morbi *diagnoſi* recurrendum eſt ad cauſſae obſtaculum creantis ſigna adque accumulatae in rene lotii effectus. Vrina autem receptaculum renale expandens dolorem in regione lumbari plus minus grauem et varias ſub trunci motu moleſtias producere, ſumme auctam apoſtema fluctuans interdum mentiri, exque reſorpto demum latice febrem, ſecretiones vrinam redolen-

lentes, conuulſiones ſuperuenire neceſſe eſt. *Curatio* huius Iſchuriae vnice verſatur in auferendo obſtaculo, pro cuius diuerſitate varia laudantur auxilia externa, maxime euacuantia, clysmata, ſemicupia. Tumore ad lumbos exorto fluctuante ſecundum artem inciſo calculum ſublatum fuiſſe legimus.

CDXX. Vti autem obſtaculum vrinae ex pelui deſcenſum impediens eius retentionem circa ipſam ſcaturiginem, ab Iſchuria veſicali ceterisque mox dicendis valde diſtinctam, producit, ſic quoque contraria cauſſa eumdem habet effectum. Quippe lotium in vretere accumulatum facile in renem redundat, quid? quod veſica vrinaria ſummo gradu diſtenta, fracta valuarum vretericarum reſiſtentia in hoſce canales inque ipſos pelues renales non ſine notabili aegroti leuamine, regurgitat latex, expanſionemque creat, dicti (CDXIX) morbi aemulam, diuerſis tamen auxiliis, vtpote ad remotiorem cauſſae ſedem directis, tractandam.

Iſchuria vreterica.

CDXXI. Ischvria vreterica *eſt* retentio vrinae in vno alteroue vretere, quoad *cauſſas* renali (cdxix) analoga, ſolo dolore ad hypogaſtrium veſicamque decurrente, tumoreque ſaepe externo *dignoſcenda*, ſimilem quoque *medelam* poſcens.

Iſchuria veſicalis.

CDXXII. Ischvria vesicalis, nonnullis Hydrops veſicae dicta, *eſt* morboſa lotii in veſica vrinaria retentio ab emiſſionis impedimento. *Cognoſcitur* e deficiente mictione; ſenſu ponderis in hypogaſtrio, pube, perinaeo; perpetuo, at inani, mingendi conatu; notabili imi ventris intumeſcentia ſupra oſſis pubis arcum exſurgente, initio ſubfluctuante, ſemper elaſtica, hemiſphaerica figura violenter expanſam veſicam prodente, neque digiti attactum, neque erectum corporis ſitum ferente; protuberantia denique inteſtinum rectum atque vaginam anguſtante, immiſſo in haec caua digito detegenda. Quibus ſignis, conſtantia et gradu haud parum diuerſis, maximam certitudinem addit retenti lotii effluxus

rita

rita catheteris immiſſione aliaue obſtaculi ſolutione reſtitutus, huncque inſequens beatiſſimum leuamen, euaneſcente ſimul tumore. Vnde patet quomodo diſtinguatur haecce Iſchuria a renali (CDXIX) vt et vreterica (CDXXI): vtriusque tamen ſymptomata iamiam recenſitis ſuperueniunt, quamprimum veſica ſummo gradu diſtenta lotium vreterum oſtia ſubit adque fontem ſuum remigrat.

CDXXIII. QVAE Iſchuriam veſicalem inferunt, *cauſſae* vel in prauo veſicae ſitu vel in cauo tunicisue eiusdem, vel in vrethra vel aliis partibus vicinis ſunt quaerendae. Et primo quidem naturalem vtris vrinarii *ſitum* mutare contentoque lotio exitum denegare valent omnes partium adiacentium herniae, prolapſus aut inuerſiones, illam ſecum trahentes vel includentes. Ipſum Veſicae *cauum* Iſchuriae cauſſam continet quoties veſica lotio diutius retento vltra modum expanſa, vel corpora aliena inducta, vel calculus, excreſcentia, pus, ſanguis, mucus, vermis colli oſtium claudunt. *Tunicae* inflammatae, induratae, paralyſi vel ſpasmo adfectae lotii effluxum non ſinunt. Quibus accenſendus eſt

tumor vuulae ac trigoni veſicae. *Vrethram* autem varia compreſſio aut obturatio v. c. a tumore, coalitu, calculo, pure, ſanguine, muco, propria canalis inflammatione, vlceratione, cicatrice, ſtrictura, calloſitate, fungoſitate duplicaturae membranaceae, tumore varicoſo textus ſpongioſi, intumeſcentia verumontani, induratione glandularum, imperuiam reddere poteſt. Multiplex denique eſt *partium vicinarum* deuiatio a ſtatu ſano, quae Iſchuriam veſicalem creat: ſic vteri ſitus mutatus aut volumen auctum, ſic diuerſi vaginae, inteſtini recti, perinaei proſtataeque tumores collum veſicae vrinariae comprimunt lotioque viam praecludunt.

CDXXIV. Diversissimas haſce cauſſas pariter diuerſas producere Iſchuriae veſicalis ſpecies, inque particulari cuiuslibet diagnoſi potisſimum ad ſigna cauſſae reſpiciendum eſſe, ſua ſponte patet. Quae a mutato veſicae *ſitu* pendet, ſagaci ventris, perinaei, vaginae rectique inteſtini exploratione haud difficulter dignoſcitur. Mingendi *ſtimulum ſtudio cohibitum*, poenitendam nimiae ſedulitatis ac verecundiae prolem, accuſandum eſſe docet erroris memor aegro-

grotus, aſſiduusque et fruſtraneus vrinam fundendi conatus. *Calculi* aliusue corporis alieni ſuſpicionem mouent peculiares horum notae, ad calcem operis tradendae. Polypoſas *veſicae excreſcentias* adeſſe monſtrant praeuia inflammationis, ſuppurationis, excoriationis vel corporis alieni hoſpitati ſigna, et ipſa caui exploratio catetheris ope inſtituenda. Obſtaculum *purulentum* indicant ſigna praegreſſae in rene, vretere, veſica vel partibus vicinis ſuppurationis, vrina pus admiſtum habens, nonnumquam etiam lamellati quid ſecum vehens, lentumque difficultatis mingendi augmentum, donec materia purulenta copioſa tenax veſicae collum occludat. *Sanguinis* grumum vel gluten *mucoſum* in cauſſa eſſe praecedentia extrauaſationis ſanguineae vel congeſtionis mucoſae ſigna, lotiumque cruore vel muco miſtum declarant. *Inflammationem* tunicarum veſicae produnt febris acuta, dolor ardens crudelis in perinaeo et hypogaſtrio, interdum rubore externo ſtipatus, ipſius Iſchuriae ex grauiſſima Dysuria origo, perpetuus impotensque vrinam emittendi niſus, aluus adſtricta, ſummus teneſmus, anxietas intolerabilis,

 vigi-

vigiliae, delirium, vomitus, ſopor, extremorum frigus. *Induratae* veſicae difficilior eſt cognitio, probabilis tamen naſcitur coniectura ex ſenio et vitae genere aegroti, praegreſſis adfectibus veſicalibus, et defectu notabilis in hypogaſtrio intumeſcentiae, forte etiam exploratione. *Paralyſeos* diagnoſis magis obuia eſt: cauſſae praegreſſae medullae ſpinalis vel neruorum veſicalium compreſſionem inducentes, inſenſilitas vtris diſtenti, vel ſaltem non adeo moleſta eius incommodi perceptio, aliarum partium inertia vel euidens reſolutio, mictio manu hypogaſtrium premente, tuſſi validoue niſu ſuccedens perque gradus increſcens, nullo ſimul praeſente obſtaculo in vrethra hanc Iſchuriae cauſſam indicant. *Tumor viuulae* ac trigoni veſicae, ſenibus haud infrequens, noſcitur ex lento mali acceſſu et duritie ſupra proſtatam digito in rectum immiſſo obuia. *Spaſticam* colli veſicae conſtrictionem adeſſe iudicamus, ſi cauſſae ſpasmum creantes praeceſſerunt, ſi dictam partem atque perinaeum durities et dolor occupat, inteſtino recto in ſympathiam rapto, ſi denique vrethra eſt libera lotiumque ſub violento omnium poten-

tiarum

tiarum expultricium actione nonnisi paucis guttis prodit. *Vrethrae* compressio vel obstructio mechanica cognoscitur ex canalis imperuiatione, tumoribus membri virilis, perspectisque morbis vel erroribus praegressis, vesica simul a qualibet Ischuriae caussa immuni. Quod si praecessit difficilis vel dolorifica mictio cum tenui, flexuoso, bifurcato vrinae flumine, Gonorrhoeae praesertim pedissequa, in plenariam lotii retentionem gradatim terminata, stricturis, contractionibus, filamentis, inflationi varicosae, forte etiam carunculis vel excrescentiis tribuenda erit Ischuria. Morbosa *partium vicinarum* conditio, tumores ani, intestini recti, perinaei, prostatae, vaginae, inflammatorii, haemorrhoidales, purulenti, aquosi, excrementa aut corpora aliena impacta, vterus grauidus, parturiens, e sede suâ dimotus cet. exploratione facile indagantur.

CDXXV. Ischvriae *prognosin* quod spectat, morbus in vniuersum semper grauis est et periculosus, non rupturas solum, vrinae infiltrationes variasque fistulas, verum etiam ingentem vreterum ipsorumque renum expansionem, vrinae suppressionem eiusque resorptionem,

hinc anorexiam, cardialgiam, vomitum, saporem ac foetorem vrinosum, febrem acutam, soporem, conuulsionem inducturus, nisi tempestiue debelletur. Singularum specierum prognosis ex cognita caussa huiusque medicabilitate vel immedicabilitate eruitur.

CDXXVI. Ischvriae *curatio* chirurgica in vniuersum praescribit ablationem caussae vrinae exitum praecludentis emissionisque naturalis restitutionem, vel lotii retenti eductionem arte praestandam. Speciatim vero illa, quae a *mutato situ* vesicae ortum habet, therapiam herniarum ac prolapsuum, vberius deinde exponendam requirit. Ischuriam a vesicae *calculo* vel alio corpore praeternaturali non raro tollit talis positura, sub qua obstaculum illud ab ostio vesicae recedit, quod etiam immisso cathetere saepe dimouetur: iterum tamen iterumque recurrens malum non nisi operatione, suo loco dicenda, radicitus curatur. Quae a *pure, sanguine*, cet. oboritur, vrinae retentio catheterismo, iniectionibusque diluentibus et incidentibus, haud neglecto morbo primario, aufertur. Ischuria ab *excrescentiis* polyposis poscit catheterismum, subiunctis

iunctis deinde iniectionibus detergentibus; si vero his resistat malum, ad incisionem colli vesicae, tumorisque irritationem, macerationem, ligaturam, euulsionem, suis quamque signis indicatam atque prudentissime instituendam, recurritur. *Inflammatis* vesicae tunicis conueniunt auxilia antiphlogistica communia, maxime autem sanguinis missiones, inter quas primum locum tenent hirudines in vicinia loci adfecti adplicatae: quid? quod haemorrhagiam rudiore catheterismo inductam egregie iuuasse legimus. Vtiliter simul adhibentur topica resoluentia, emollientia, hypogastrio, perinaeo admissa, intestino recto iniecta, semicupia. Nonnulli a liquido demulcente vrethrae iniecto aliquid sperant. Morbo autem his non cedente catheteris aut cerei immissio secundum artem instituatur. Omnibus sine fructu tentatis ad punctionem deueniendum est. Ischuriam ab *induratione* et phlogosi vesicae promtissimo hydrargyri vsu debellatam esse legimus. *Paralyticae* vero medela praecipue consistit in assiduo, repetito, neque difficili catheterismo, fotu frigido penetrantissimo, tam ad hypogastrium quam ad peri-

naeum admiſſo, veſicantibus oſſi ſacro adpoſitis, iniectionibus leniter ſtimulantibus, et ſi vitium locale adſit, huius ablatione ſpeciali. Quae ex colli veſicae *ſpaſmo* et lotio vltra terminum retento naſcitur, auxilia requirit antiphlogiſtica, antiſpasmodica, fotus emollientes, ſemicupia, cautiſſimamque deinde catheteris vel candelulae introductionem. *Trigoni tumor* difficillime dispellitur, hydrargyri tamen vſum hic profuiſſe obſeruatum eſt. *Vrethrae* mechanica compresſio ablationem comprimentis prudentemque inſtrumenti immiſſionem, coalitus, calculi vel corpora aliena ſingulares ſectiones ſuo loco proponendas poſtulant: lentae eiusdem anguſtationi medetur indefeſſo et legitimo cereorum vſu, quo obſtaculo vincendo impare veſicae punctio eſt inſtituenda. Iſchuriae a *partium vicinarum* intumeſcentia curatur prudente catheteriſmo vel cerei immiſſione atque therapia morbo primario adaptata. Preſſionem ab *vtero* diſtento tollit ſitus reſupinus, reflexus aut antrorſum depresſo pectore inclinatus, abdominis ab oſſe pubis remotio vel eleuatio manus vel vincturae miniſterio praeſtanda, his denique nihil efficientibus,

aſſi-

aſſiduus ad imminentem partum catheterismus, aut imminutio tumoris methodo naturae morbi adpropriata.

CDXXVII. Candelvla autem ſeu *cereus*, quo ad peruium reddendum vrethrae canalem veſicaeque oſtium vtimur, e ſparadrapo ſeu linteo tenui materia ceracea imbuto, quo ſcopo nonnulli Emplaſtrum diachylon cum hydrargyro vel ſtibio remixtum laudant, ſingulari artificio arctiſſime conuoluendo paratur, ut turundae ſimilis fiat, altero extremo vtcumque tenuiore, cylindracea, adcuratiſſime aequabilis, non ſine flexilitate firma, pro varia morbi et aegroti differentia variae craſſitiei et longitudinis. Turundas vrethrae immittendas ex plumbo aut corio confectas, ob corruptionem fracturamue, quam facile patiuntur, obque fruſti in vrethra remanſionem inde metuendam, cauſticis commiſtas autem ob nimiam, quam exerunt, irritationem, non ſine periculo adhiberi experientia docuit: chordaceas tamen in minima vrethrae peruiatione habent vtilitatem. Ipſe nunc cereus oleo blando vel albumine oui oblitus leniter et gradatim, ne violentior niſus vrethram laedat, im-

immittatur, talisque encheireſis pluries in die repetatur, donec naturalis canalis meabilitas reſtituta fuerit. Qualemcumque vero vrethrae arctationem, ſi candelulae apex impedimentum ſuperare nequit, inſtrumento magis magisque diſtendenti tandem cedere, vel ſaltem obſtaculum iterato illius adpulſu in ſuppurationem conuerti malumque radicitus tolli poſſe, compertum eſt.

CDXXVIII. Altervm adque liberandam vrinae viam vſitatiſſimum inſtrumentum *Catheter* ſeu Algalia eſt. Sexui digniori dicatum conſiſtit in tubo argenteo ad natiuam vrethrae magnitudinem tractumque fabricato, cuius alterum externum, quod vrethram permeare debet, in apice quidem coecum, in vtroque autem latere inciſo ſulco obtuſo aut foramine rotundo patulum eſt, alterum inſtar infundibuli hiat, duobus annulis lateralibus, tum etiam ſtylo, totum cylindri canalem percurrente eumque, vel patulum ſeruante vel obturante, inſtructum. Catheteres ex corio, oſſe aut plumbo confectos ob varia, quae creant, incommoda argenteis poſtponendos eſſe conſtat, ſicut e contra flexibiles,

e filo

e filo metallico ſpirali rite concinnati, tela ſericea cerata vel reſina elaſtica obducti, vulgaribus vel illis, qui figuram literae ſ aemulant, ſub certis conditionibus merito praeferuntur.

CDXXVIIII. Ipse autem *Catheterismus* ſeu immiſſio catheteris ſequenti modo inſtituatur. Aegro reſupino corpore, genubus paullulum flexis, in ſella vel lecto collocato, Chirurgus, ad latus eius vel ante eum ſtans, ſiniſtra colem praeputio retracto firmans, dextra catheterem oleo aut albumine illitum, concaua eius parte pubem aegroti ſpectante, per vrethram flexuoſam blanda propulſione in veſicam demittit. Haec eſt vſitatior et praeſtantior methodus; alteram ceu *magiſtri digniorem* encheireſin extollunt nonnulli: catheterem nempe, conuexitate ſua abdomen reſpiciente, in vrethram ad imam pubis partem inducunt, tunc autem certo artificio leniter illum inuertunt, vt apex antea deſcendens iam contraria directione pubis arcum ſubeat veſicamque ingrediatur. Sub vtrauis autem catheteris introductione tria praeſertim obſtacula vrethra illi opponit: primum ad inſertionem ligamenti ſuſpenſorii, alterum ad naſcentem membranaceam

canalis

canalis texturam ſub arcu pubis, tertium denique ad Proſtatae ſinum. Triplex hoc impedimentum, felici catheteris itinere vitandum, ſuperatur aliquantum retrahendo inſtrumentum, adque ſuperiora vel inferiora, prout apicis de medio canali aberratio exigit, leniter mouendo manubrium, inducendo digitum indicem inteſtino recto, ac reprimendo fundum proſtatae extremumque catheterem verſus pubem, perinaeum denique eiusdem digiti ope extrorſum, quo derugatio fiat, trahendo. Immiſſo in veſicam cathetere extractoque eius ſtylo vrina retenta maximo cum aegroti leuamine effluit, vel ſi nimis tenax fuerit, ſiphonis miniſterio per catheterem attrahitur. Tubum vero, pro diuerſa Iſchuriae cauſſa interdum in veſica relinquere conuenit, quum remota fiſtula impedimentum vrinae reddendae ſaepius recurrat. Neque tamen vltra duodecim dierum ſpatium relinquendus eſt, ſiquidem calculoſam cruſtam facile contrahit, quae ipſam extractionem difficilem ſaepe et dolorificam noxiamque reddit.

CDXXX. Minori longe difficultate tubus argenteus, breuior, rectus, ad extremum anterius

rius paulum incuruatus, in breuiorem &t largiorem *foeminarum* vrethram immittitur, cuius orificium externe prope ſuperiorem oſtii vaginae marginem levi tuberculuo notatum pulpa digiti, ſine ſenſus ope, indagatur.

CDXXXI. Qvae incaſſum adhibito catheteris cereorumque miniſterio, vrgentibusque ſymptomatibus, veluti ſacram anchoram praebet, ipſa *veſicae punctio* multiplex eſt: vel enim vrethra vel perinaeum vel inteſtinum rectum, vel vagina, vel denique hypogaſtrium transfoditur. Punctio per vrethram aut in medio perinaeo inciſione illius ſupra obſtaculum vel paracenterii recti vel catheteris, loco ſtyli acu triquetra inſtructi ope abſoluitur: quum autem inſtrumentum per medium canalem aegre perducatur, eoque deuiante vrethra non laedi non poſſit, et aliae difficultates hancce auxilii rationem premant, merito relinquitur. Vbi perinaeum transfigendum eſt, medius inter raphen et ſiniſtrum oſſis iſchii tuber locus paracenterio longiori per foratur, apice iuxta digitum indicem ano immiſſum in linea recta absque vlla declinatione inter muſculos, iſchio atque bulbo cauerno-

uernosum in vesicae partem, collo et vretheris orificio intermediam dirigendo. Hypogastrio electo punctio ad distantiam vnius et dimidii pollicis ab ossium pubis symphysi, paracenterio, cuius cannula leuiter incuruata longitudinem duorum pollicum cum dimidio non superare debet, perficitur: sic enim pars anterior vesicae distentae, nullo peritonaeo tecta, pertuditur. Quae denique in sexu potiore per intestinum, in sequiore per vaginam vteri fit, punctura paracenterio curuato ad indicem dicto canali inductum adque mediam et posteriorem vesicae partem adiacentem et connexam hanc perfodiente administratur: cuius methodi praestantiam recentissimorum experientia euicit. Quocumque demum modo paracenterium in vesicam introductum fuerit, lotium acu triquetra retracta per cannulam educitur. Quae deinde fasciis adfixa in vesica ad decem vel duodeim dies relinqui, quinimo post debitam abstersionem denuo induci potest, donec caussa naturalem vrinae exitum praecludens remota fuerit.



CAPVT

CAPVT II.

DYSVRIA.

CDXXXII.

Dysvria *eſt* difficilis, ſaepe ſtillatitia, voluntaria tamen, vrinae emiſſio. Quae adeoque perinde ac plenaria lotii retentio obſtaculum ponit, liberum illius per veſicae oſtium atque vrethram tranſitum impediens, vnde ſolo fere gradu ab Iſchuria differt, cuius etiam haud infrequens praenuncia vel pediſſequa eſt.

CDXXXIII. Non ſine ſubtilitate a Dysuria (cdxxxii) diſtinguitur *Stranguria* ſeu Ardor vrinae, quod nempe malum in dolorifica quidem, ceteroquin autem libera mictione conſiſtit. At ſicut ſimpliciſſima huius excretionis difficultas moleſtiam creat ad dolorem (clviii) omnino referendam, ita etiam merus vrinae elabentis ardor libero huius tranſitui plus minus obſtare ſolet. Deinde minime inſolens eſt Dysuriae et Stranguriae connubium, communesque ambae agnoſcunt cauſſas.

CDXXXIV. Vtrivsqve mali *caussae* sunt inflammationes, excoriationes, irritationes, indurationes aut angustationes vrethrae vel ostii vesicae, quales nempe, maiori quidem gradu, Ischuriam producere valent. Frequentiorem ansam praebent violentia externa, praesertim iniectiones incautae, miasma syphiliticum, victus acrior, potus fermentatus, diureticus, cantharides, haemorrhoides, calculus in qualibet via vrinaria haerens, sanguis, mucus, pus, vermis, stricturae, callositates et reliqua inter caussas Ischuriae in vrethra hospitantes (CDXXXIII) allata, tum denique vteri vesicaeque situs mutatus. Prae ceteris difficultati vrinae subiecti sunt senes, hypochondriaci et hystericae.

CDXXXV. Dysvriae *prognosis* differt, quoad caussa facilius vel difficilius tollitur, qua increscente in Ischuriam transit morbus.

CDXXXVI. Chirvrgica *curatio* diuersae mali caussae accommodanda est, vnde plurima hic repetuntur, quae in Ischuriae therapia (CDXXX) iam laudauimus.

CAPVT

CAPVT III.

OBSTIPATIO.

CDXXXVII.

Obstipatio in vniuerſum *dicitur* ſuppreſſa vel notabiliter impedita faecum aluinarum excluſio, cuius itaque varios dari gradus neceſſe eſt. Sic in multis hominibus aluus poſt interualla Naturae normam plus minus excedentia deponitur, non ſemper ideo laeſa ſanitate: in aliis regulare vel irregulare ventris beneficium varias ſecum vehit moleſtias: in aliis denique pertinax alui obſtructio ſymptomata ominoſa adducit, *Ileus* tunc dicta. De periculoſo iſto conſtipationis gradu potiſſimum diſpiciamus.

CDXXXVIII. Commvnia Ilei, ſeu pertinaciſſimae et periculoſae obſtipationis *ſymptomata* ſunt dolores ventris acuti, huiusque intumeſcentia et tenſio, borborygmi, nauſea, aſſumtorum, deinde etiam, ſi in tenui inteſtino haeret obſtaculum, ſtercorum evomitio, et niſi malo occurri poſſit, gangraenae ſigna, inferius recenſenda.

CDXXXIX. Qvae producendo huic malo maxime fauent, *cauſſae* ſunt inflammatio, ſpasmus, paralyſis, vel inertia, intuſſuſceptio, coalitus, anguſtia vel imperuiatio natiua inteſtinorum, ſtrictura appendiculae vermiformis vel omenti, hernia aliiue adfectus partium adfinium canalem inteſtinalem in coarctationem rapientes, ſcybala, lumbrici, calculi, corpora aliena, mucus tenax, eumdem obſtruentes, tumores denique vicini, eius cauum intercipientes.

CDXL. Qvaenam vero ex his cauſſis inculpanda ſit, perpenſa ſymptomatum acceſſio, vehementia, duratio, adſociatio, morbique praegreſſi natura, et attenta totius abdominis inteſtique recti exploratio docet.

CDXLI. Obstipationis grauioris *prognoſis* ſemper incerta eſt atque ambigua: imprimis autem illa, quae ex inflammatione naſcitur, intra paucos dies mortem inferre ſolet: in aliis ſpeciebus malum diutius protrahitur: quid? quod vigeſimo demum die inſequutum alui beneficium morbum ſoluit. Vnde omnis aegroti ſalus in reſtituta ventris exoneratione poſita eſt.

Vomi-

Vomitus ſtercoreus, ingens abdominis expanſio, pulſus paruus, celer, inaequalis, ſummum vitae diſcrimen denotant.


CDXLII. Pro diuerſa morbi cauſſa variat *Therapia.* Praecipua autem auxilia chirurgica, minime tamen ſine cauto delectu adhibenda, conſiſtunt in praeſidiis antiphlogiſticis; clysmatibus vel ſtimulantibus, ſalinis, ſquilliticis, draſticis, vel emollientibus, oleoſis, blandiſſimis, vel expandentibus, aquoſis, aëreis, vaporoſis, vel denique ſedantibus, opiatis, foetidis; vnctione abdominis, perinaei, oleoſa; epithemate vel emolliente, calido, vel ſtimulante, frigido, vel ſedante, balneo, ſemicupio; frictione lenique concuſſione aut vectione interdum obtinenda; materiae repulſae reuocatione ope veſicatorii vel epiſpaſtici cet. Atretis cultro ſuccurrendum, vitiisque et morbis vnde hoc malum pendet, propria cuique methodo obuiam eundum. Quam pro intuſſuſceptione dirimenda inſtitutam eſſe ferunt, abdominis ſectio inſuperabilibus premitur difficultatibus. Naturae vero viribus magnam canalis inteſtinalis partem ſuſceptam ac corruptam ſeparari, per anum elimi-

 nar

nari tubique integritatem reſtitui poſſe mirabilibus exemplis conſtat.

CDXLIII. Reliqvae et minus ominoſae alui obſtipationes communem fere cum Ileo adgnoſcunt cauſſam, gradu tamen minorem. Vnde elucèſcit quomodo illis occurrendum ſit. In vniuerſum quidem exercitium corporis, frictiones, inunctiones abdominis, balnea, modicus denique et ſtata hora repetitus ventrem deponendi niſus, tarda inteſtina tandem ad priſtinam alacritatem reuocant, vt non ſemper opus fuerit, clysmatum ope aluum reſerare.

CDXLIV. Singvlarem pertractationem non meretur difficilis vel dolorifica ventris exoneratio, vtpote adfectus vix vmquam idiopathicus, plerumque a mariſcis aliisue tumoribus, fiſtulis, prolapſu inteſtini, morboſo partis adfinis ſtatu, mala medicatione oriundus, horumque ablatione tollendus. Quae a ſcybalis durioribus exoritur, difficultas alui clysmata emollientia poſcit.



SVB-

SVBSECTIO IV.

RESOLVTIONES.

CDXLV.

RESOLVTIO *eſt* permanens facultatis motricis vel ſentientis vel vtriusque, defectus a cauſſa in ipſo organo motorio vel ſenſitiuo haerente deriuandus.

CDXLVI. VNDE liquet, variam partium ad motum vel ſenſum impotentiam a debilitate, inflammatione, ſpasmo, tumore, vinctura, frigore, anchyloſi, cet. oriundam, quae internam duraturam muſculi neruiue laeſionem non efficit, cum vera reſolutione haud confundendam eſſe. Patet quoque hanc quoad *ſubiectum* communem eſſe muſculorum neruorumque morbum, cui ex vna parte Spasmus (CLXXIV) ex altera Dolor (CLVIII) eſt oppoſitus.


CDXLVII. OMNIS reſolutionis *principium* conſiſtit in impedito vis nerueae tranſitu, ſiue obſtaculum in ſingulo muſculo vel neruo, ſiue inter partem adfectam et ſenſorium commune, ſiue in ſenſus motusque fonte ſiue in ipſo fluido nerueo haereat.

CDXLVIII.

CDXLIX. Qvae tale impedimentum (cdxlv) producere valent, *cauſſae* multiplicis generis ſunt, ſub ſpecialibus titulis commodius recenſendae.

CDL. Sicvt vero reſolutio ſede, ambitu, gradu toto coelo a ſe inuicem diſtat, mali quoque *prognoſis* perinde ac *therapia* diuerſiſſima eſt; in vniuerſum enim hoc modo notandum venit, nullam reſolutionem boni quid promittere, omniaque artis molimina eo eſſe dirigenda, vt influxus vis nerueae reſtituatur.

CDLI. Omnis autem reſolutionum vniuerſitas ſub duobus capitibus comprehendi poteſt, *Apoplexia* nempe et *Paralyſi:* illa totum corpus inuadit, haec partem tantum occupat.



CAPVT

CAPVT I.

APOPLEXIA.

CDLII.

Apoplexia *eſt* ſubitanea motuum voluntariorum ſenſuumque internorum et externorum abolitio, cum difficili ac ſtertoroſa reſpiratione ac pulſu plerumque magno et forti artuumque laxitate. Reliqua ſymptomata *concomitantia* ſunt facies tumida, vtplurimum florida, etiam liuida, raro pallida, lacrymatio, vomitus, vrinae atque excrementorum emiſſio ſpontanea. *Inſtantem* morbum praeſagiunt oris diſtorſio, viſus audituſue errores ſenſuumque internorum hebetudo, linguae difficultas, vertigo, cephalagia aut capiplenium, temulentiae aemulum, ſomnus profundus vel nullus, leuis fugaxque huius vel illius partis torpor, tremor, frigor, genarum ſuffuſio inſolita, debilitas artuum, nauſea ſine cauſſa manifeſta. Paroxyſmum non lethalem *ſequi* ſolet reſolutio partialis, flatulentia, languor, ſenſuum debilitas cet. Vnde elucet Apoplexiae *differentia* ab Epilepſia, Lethargo, Catalepſi, Aſphyxia, et aliis morbis congeneribus nec non temulentia.

CDLIII. Diri huius morbi *cauſſas* quod attinet, maxime illi obnoxii eſſe ſolent ſenes, breuicolles, plethorici, obeſi, vinoſi, deſides, literati. Occaſionem praebent varia, in ſex claſſes commode diſtribuenda. Et primo quidem ſanguinem expandendo verſusque caput rapiendo, vel eius deſcenſum impediendo, vel vaſorum rupturam in encephalo creando Apoplexiam inducere valent enormis caloris vel frigoris gradus, collaria anguſtiora, motus vel niſus vehementiores, potationes aut epulae, maxime veſpertinae, animi pathemata excitantia, plethora aliunde commota, euacuationes, ſanguinis praeſertim, ſuppreſſae, membri maioris amputatio, vociferatio, tuſſis, polypus, aneurysma, tumor, partus difficilis, conuulſiones, aliaque reſpirationem vel liberum ſanguinis iter notabiliter laedentia, ipſae denique iniuriae externae encephalo illatae, harumque ſequelae. Colluuies ſeroſa ex victu vel morbo nata forte encephalum opprimendo vel ſpirituum ſecretionem fruſtrando Apoplexiam inferre valet. Senſorio communi ſanguinem ſpiritusue detrahendo eumdem morbum gignere videntur lа-

dores

bores mentis, vigiliae, veneres, haemorrhagiae aliseque exinanitiones modum excedentes, variique neruorum adfectus. Magis incerto modo Apoplexiam creat materia arthritica, exanthematica, herpetica, repulsa, praecepsque vlcerum vel fonticulorum antiquorum exsiccatio vt et lactis repressio, qnibus accensendus est lethalis Ilei vel Ischuriae gradus. Diuersa denique localia cranii encephaliue vitia vim nerueam in ipsa sua scaturigine opprimendo hunc saepe morbum inducunt, vti exostoses internae cranii tabulae, effusio et purulentia varia, tumor cysticus, petrificatio, ossescentia, forte quoque aër extricatus. Postremam caussarum Apoplexiae classem, perinde incognita ratione nocentem, constituunt vapores metallici, aër mephiticus, venena narcotica.

CDLIV. Vnde prono ratiocinio fluit, Apoplexiam nunc *idiopathicam* esse, nunc *symptomaticam*, nunc *metastaticam:* plures in ea producenda conspirare posse caussas: diuerso denique modo effici illud influxus neruei impedimentum, in ipso encephalo haerens, in quo morbi *principium* consistit. Patet quoque vulgarem

Apo-

Apoplexiae diſtinctionem in *ſanguineam* et *ſeroſam* minime abſoluere omnem eſſentialem huius morbi differentiam, ſiquidem nonnullae dantur ſpecies quae ad neutram referri poſſunt. Non ideo negari poteſt ſanguinis congeſtionem vel extrauaſationem frequentiſſimam conſtituere Apoplexiae cauſſam, ſeroſamque interdum occurrere: at neque ex cauſſis praegreſſis, neque ex ſymptomatibus ſemper cum certitudine iudicari poteſt, vtrum cruor an pituita noxam inferat: vtrumque adeſſe poſſe funera docuerunt.

CDLV. Atrocissimi huius mordi *prognoſis* ſemper ambigua eſt: eo tamen grauius imminet vitae periculum, quo ſaepius iam recurrit, quoque vehementior eſt inſultus, quo plures aut immedicabiliores concurrunt cauſſae.

CDLVI. Praecipitis ancipitisque adfectus *curatio* maximam partem Chirurgiae ſubſidiis feſtinanter ſtrenueque adhibendis abſoluitur. Vbi *ſanguis* in capite accumulatus morbum produxit, libera et repetita illius detractio e vena bracchii deinde iugulari, arteria temporali, hirudinibus ad tempora vel occiput adplicatis prae-

pri-

primis in vſum vocanda, aegroto mox in ſitu erecto, cruribus demiſſis, in aura frigidiuſcula pura collocato, collari, et reliquis quae circulum ſanguinis laedunt, relaxatis, capite denudato, quinimo capillis reſectis. Multum quoque promittit frigida capiti admota. Pediluuia tepida prudenter adminiſtrata haud parum conducunt. Clysmata modico ſtimulo praedita omnino indicantur; quum vero hocce auxilii genus poſituram exigat, ſanguinis a capite reditui minime fauentem, ad laxantia tutius recurritur. Alterutro autem praeſidio eo magis opus eſt quo euidentior praeceſſit ingluuies. Corporis ſuccuſſiones, veſicantia, et alia excitantia quaecumque maxime ſunt vitanda. Nonnulli a cauterio pedibus adplicato aliquid ſperant. Apoplexiae *traumaticae* ſcita laeſionis externae indagatione et tractatione magis quam ſanguinis miſſionibus occurritur. Quodſi *inanitio* ſimplex, plethorae locali oppoſita hunc morbum induxerit, ſpiritus irritantes, veſicatoria, frictiones et alia quae humores encephalo reddere languidumque ſanguinis circulum excitare valent, in vſum trahenda forent, omiſſis venae ſectionibus, pedi-

pediluuiis, ceterisque debilitantibus et reuellentibus. Scrupuloſo autem examine hic opus eſt: mixtus enim eſt nonnullarum cauſſarum ad hanc claſſem pertinentium effectus: ſic venus vel meditatio immoderata ſimul cum virium iactura ſanguinem forte verſus caput rapiunt. In *ſeroſa* cerebri inundatione ſanguini parcendum eſt: magis conueniunt, quae per aluum euacuant. Varia quoque alia reuellentia et excitantia, veſicatoria, imprimis adhiberi poſſunt. *Metaſtaticae* autem iis maxime auxiliis medendum eſt, quae materiem peccantem ad debitam ſedem reuocant, quo ſcopo fotus, pediluuia et alia balnea, frictiones, ſinapismi, veſicatoria, fonticuli cet. adhibentur: non neglectis interea congeſtionis ſanguineae, ſi haec adfuerit, remediis. Quae a *vitio locali* pendet ſagacem cauſſae prementis vel irritantis indagationem et ablationem poſtulat, ſine cranii perterebratione menyngumque vel ipſius etiam cerebri inciſione raro obtinendam. *Venena* efficacius emeticis et laxantibus expelluntur: conducit tamen clymata ſimul iniicere; neque tuto ſanguinis miſſio et alia auxilia humores a capite reuo-

cantia

cantia orgasmumque compescentia omittuntur, praesertim si narcotica ingesta fuerint. Quae a vaporibus suffocantibus ortum ducit Apoplexia, simili feme methodo, ac sanguinea, tractanda est: plurimum hic praestant liberrima aurae vel aquae frigidae admissio et enemata stimulantia.

CDLVIII. Hoc demum cauendum ne status apoplexiae aemulus, ab ea tamen diuersus, e ventriculo multis vel indigestis cibis obruto originem trahens, inter alia primam culinam expurgantia etiam clysmata sat acria postulans, Chirurgum ad liberales sanguinis missiones, periculosum in hoc casu errorem, deoucat.



CAPVT

CAPVT II.

PARALYSIS.

CDLIX.

Svb Paralyſi intelligi ſolet reſolutio (CDLXX) particularis ſeu ad vnam vel plures partes musculari neruoſaque fabrica praeditas limitata, plerumque ſenſuum externorum motusque voluntarii organa, rarius viſcera, rariſſime partes vitales inuadens, neque infrequenter vel intumeſcentia vel marasmo vel dolorifica ſenſatione membrorum adfectorum, ſaepe etiam febre pulſu in iisdem partibus vtplurimum molliore comitata. *Cauſſae* particularem reſolutionem inducentes ſunt praeter eas quae Apoplexiae generandae fauent (CDLIII) conuulſiones, ſpasmi, diſtenſiones, dolores, torpores compreſſiones, obſtructiones, et aliae muſculorum vel neruorum ſingulorum vel encephali vel medullae ſpinalis vel gangliorum laeſiones, hydrargyrum, plumbum aliudue venenum corpori admotum vel ingeſtum, vehementior vel diuturnior caloris vel frigoris, humido praeſertim iuncti, actio, ſorbillitio immodica relaxans, Venus effraenis, verminatio metaſtaſis. *Prognoſis* paralyſeos

ſeos numquam laeta eſt: quo aetate prouectior eſt aegrotus, quo vetuſtius malum, quo altioris ſedis quoque minus medicabilis cauſſa, quo denique magis ſimul cum motu ſenſus, vel ſimul cum ſenſu motus eſt laeſus, quoque notabilior eſt partis tumor, frigor, conuulſio, eo minor affulget ſpes. Communis reſolutionis particularis *curatio* cauſſae mali ſedem, deinde ipſam partem adfectam reſpicit. Adfecto nempe encephalo, quin etiam praegreſſo maiore minore inſultu apoplectico, pro diuerſa illius laeſionis natura varia auxilia, in capite praecedenti (CDLVII) expoſita, adhibentur, donec adpareat cerebrum non amplius ſanguine grauari, colluuie inundari, cet. Illaeſo autem vel perfecte liberato ſenſorio communi ad localia remedia deueniendum eſt, ſemper tamen cauendo, ne in aegroto ad apoplexiam procliui huic anſa praebeatur. Quodſi in medulla ſpinali haeret origo mali, ipſa cauſſa citiſſime indaganda eique, quatenus fieri poteſt, medendum eſt, quo ſcopo vel communis inflammationis, vulneris, fracturae, luxationis, exoſtoſeos, cariei, vel hydrocephali, apoplexiae, cerebri concuſſionem effuſionemue ſang-

uineam paſſi vel denique localis mox dicenda therapia tentatur: neque hic ſine ſucceſſus fiducia agere oportere Chirurgum mirabiles curationes docuerunt. Tumor varius, ganglion vel neruum comprimens, exſtirpari, plethora venoſa ſanguinis miſſione ſpoliatiua, reuulſiua, deriuatiua tolli, colluuies ſeroſa euacuantibus phlegmagogis (CDLII) indigitatis aut vlceribus artificialibus minui vel ſaltem aliorſum duci, venenum et acrimonia translata remoueri vel corrigi debet. Triſti caloris frigorisue effectui contraria potentia opponitur. Vermes inter alia iniectiones, forte quoque inunctiones oleoſas ſpecificas poſcunt. Languidam vel torpidam vis nerueae energiam erigit eamdemque in partem reſolutam reuocat multiplex tum cardiacorum, tum neruinorum vel ſimpliciter ſtimulantium genus. Praeter alimenti reſtaurantis, excitantis, vini meraci, aëris ſereni temperati, variique corporis exercitii, concubii viri vel feminae ſanae amplexus acidularum denique beneficia, hic laudanda veniunt balnea varia frigida, calida, ſimplicia, medicata, vinoſa, maxime ſtillicidia, rite adhibita, frictiones ſimplices

vel

vel ſpirituoſae, oleoſae, aromaticae, ſinapinae, partis adfectae immiſſio in faecem vinoſam, aut corpus animalis recens mactati, vrticationes, vel flagellationes, rubefacientia, veſicatoria, acria volatilia vel aromatica naribus admota, ſternutatoria, maſticatoria, vis electrica, cui iam vix quidem merito magnetica ſubſtituitur: minus tuta ſunt fortiora animi pathemata et ea, quae febrim accendere valent. De ſtimulantibus externis in vniuerſum notandum, horum efficaciam eo maiorem eſſe, quo propius alteri nerui laeſi extermo adplicantur. Paralyſis autem pro diuerſis, quas occupare ſolet partibus, diuerſas ſortitur nomina: ſi alterutra corporis medietas reſoluta eſt *Paraplegia* vel *Hemiplegia*, ſi ſingulum quoddam membrum *Pareſis*, ſeu Paralyſis ſtricte dicitur: poſterior iterum in ſingularibus quibusdem partibus proprias adgnoſcit cauſſas propriamque exigit medendi methodum, quae adeoque ſigillatim exponenda veniunt.

Paraplegia.

CDLX. Paraplegia *eſt* reſolutio totius corporis, capite excepto, poſt ſuperatum Apoplexiae inſultum interdum ſuperſtes, nonnumquam

 a cauſſa

a caussa medullam spinalem laedente, e. gr. humore collecto, infarctu, vertebrae fractura, luxatione, concussione, vulnere, carie cet. ortum ducens. Vnde patet ad Paraplegiam referendam esse frequentiorem illam resolutionem, quae extremitates inferiores simul cum aliis partibus, quarum nerui infra laesionem ex medulla spinali egrediuntur, inuadit. *Prognosis* et *curatio* ex iis, quae de Paralysi diximus, facile intelliguntur.

Hemiplegia.

CDLXI. Hemiplegia *est* resolutio dimidii corporis, bracchium nempe et crus, vtque plurimum faciei linguaeque partem alterutrius lateris occupans, insultus apoplectici frequentissima sequela, raro saltem sine tali prodromo accedens, ceterum vero quoad *caussas*, *prognosin* et *curationem* partim Paraplegiae, partim Paresi analoga.

Paresis.

CDLXII. Paresin strictiore sensu dicimus resolutionem partis cuiuslibet singularis: strictissime autem sic nuncupamus illam, quae digitum,

ma-

manum, bracchium, pedem, crus vel femur inuadit. Plerumque folus motus in paresi deficit, rarius simul laesus est sensus, rarissime isto tantum priuatur pars, motu superstite. *Caussa* vix vmquam extra adfectionis sedem vel proximum nerui ganglion quaerenda est: iniuriae externae, adplicata saturnina, rheumatismus, arthritis maxime paresi inducendae fauent. *Prognosis* et *curatio* ex ante dictis sponte liquent.

Blepharoplegia.

CDLXIII. Blepharoplegia seu resolutio palpebrae duplex est: vel musculus eleuator paralysi laborans velum superius attollere non valet, vnde hoc ante oculum laxe propendet, a coalitu, aut tumore palpebrarum facile distinguendum: vel orbicularis, constrictioni impar, oculum apertum relinquit. Vterque morbus, nisi laesionis externae soboles, senibus familiaris, grauioris mali Apoplexiae vel Hemiplegiae praenuncius aut pedissequus, latentis caussae et periculi ablationem praecipit, per se quidem, quousque tutum est, efficacissimis neruinis aut stimulantibus tentandus.

Amaurosis.

CDLXIV. Amaurosis est visus obscuritas vel defectus, omnino ad resolutiones particulares pertinens, quatenus nimirum a sola nerui optici vel plexus ciliaris laesione pendet: ille autem vel in retina vel in tractu vel in ipso thalamo immeabilis fieri vel plane destrui potest. Pro cuius vitii diuersitate Amaurosis quoque differt: sic alia est *perfecta*, etiam Gutta serena dicta, in qua plenaria visus abolitio ad, est: alia *imperfecta*, Amblyopiae nomine insignita, in qua obiecta indistincta adparent, quaeque iterum distinguitur in *continuam* atque *intermittentem* seu statis vel incertis temporibus recurrentem. Ad alteram speciem referuntur Amblyopia crepuscularis et diurna, Antiquis Hemeralopia et Nyctalopia dictae, quae nomina Recentiores perperam transmutarunt. Perfectam autem amaurosin sequi solet pupillae decoloratio, plerumque pallida, nebulosa, eiusque relaxatio, iridis motu simul imminuto vel plane amisso. Postremo quidem signo ab omnibus ceteris Coecitatis speciebus facile distinguitur. Amblyopia semper utrumque, perfecta

fecta Amaurosis non raro alterutrum tantummodo occupat. *Caussae* quae dictum neruum vel plexum laedendo Amaurosin inducunt, sunt inflatio vasorum vel glandularum illos comprimens, violentiae externae, oculo vel partibus huic ipsi circumiaceutibus illatae, diuturnus corporum splendentium intuitus, effluuia acria, transpiratio repressa, acrimonia arthritica, rheumatica, venerea, stupefacientia ingesta vel admota, communes denique Apoplexiae et Paralyseos caussae. Nonnullis congenitum est vitium. *Prognosis* perfectae Amauroseos minus promittit quam imperfectae; immedicabile est malum si congenitum vel a caussa auxilium respuente ortum fuerit. Lente accedens, alios morbos neruorum sequens, narcoticorum vsu inducta sanatu difficillime est. *Curationis* chirurgicae cardo vertitur in remouenda caussa, quo scopo modo ea, quae sanguinem vel serum reuellunt, praeprimis sternutatoria, modo neruina, interque haec potissimum vis electrica et balnea, interdum ipsa hydrargyrosis laudantur. Quae ex morbosa organi optici fabrica nascuntur, visus vitia alio loco considerabimus.

Cophosis.

CDLXV. Cophosis est impotentia sonos recte percipiendi, quae perinde ac Amaurosis diuersos habet gradus: vbi enim ne fortissimi quidem soni audiuntur, perfecta adest Cophosis seu *Surditas* absoluta: vbi obscura datur sonorum perceptio, Hypocophosis seu *auditus difficilis* dicitur. Vel vnam modo vel vtramque aurem occupat morbus. Vel perennis est vel post interualla recurrit. Multiplicem autem adgnoscit originem, non semper aeque facile detegendam, prout vel meatus auditorius externus, vel tympanum, vel tuba, vel neruus acousticus vel reliqua intimi organi fabrica adficitur. Sic varia encephali laesio a caussa interna vel externa, violentia auri vel partibus adfinibus illata, fragor maximus, animi pathema, refrigerium praecipue capitis sudore perfusi vel saliuatione tumidi, solis ardor, tempestas nebulosa, cibus digestu difficilis, inflammatio organo propria vel vicina occupans, orgasmus vel congestio febrilis, metastasis, virus venereum, verminatio, tumor parotidis vel folliculorum sebaceorum, ceruminis defectus vel abundantia, pinguedo

uedo praeter naturam collecta, corpus alienum immissum, polypus tubam in faucibus occludens, coalitus, crusta vlcerosa, exostosis, caries, mala auris externae vel internae conformatio congenita vel acquisita, auditum vel imminuere vel tollere valet. Vnde elucescit summa huius mali diuersitas, a resolutione multimode aberrans, quam hic tamen vna pertractare fas erit. *Prognosis* pro varia mali origine et duratione variat. In vniuersum haud facile curatur, quum recondita plerumque sit laesionis natura. Malam organi conformationem vel vitia haud remouenda omnem artis conatum inutilem reddere patet; minus infaustum successum exspectare licet, si caussa morbi medicationem admittit, si hic per interualla increscat ac decrescat, si denique haemorrhagia, asthma, oedema, abscessus auris sponte superueniat. *Curatio* praeter alia auxilia chirurgica caussae cognitae vel morbo primario adcommodanda varia medicamenta parti adfectae adplicanda exigit, praeprimis instillationes, iniectiones, fumigationes, emollientes, stimulantes, balsamicas, adque deobstruendam tubam iniectiones per nasum, gargaris-

mos, ſpiritu cum impetu per nares efflato adiutum, quinimo ſternutationes. Nonnullis denique ſurdaſtris egregiam operam fert tuba ſeu concha acouſtica diuerſimode fabrefacta.

Anosmia.

CDLXVI. Anosmia *eſt* defectus vel imminutio odoratus. *Cauſſa* vel in neruis olfactoriis reſolutis vel in membrana pituitaria inflammata, muco obducta, puluere, Tabaci maxime, obruta, polypo tecta, vlcere cet. laeſa conſiſtit. Anosmia paralytica plerumque hemiplegiam vel aliam encephali adfectum comitatur eiusque *therapiae* cedit, eo quidem magis, quo minus remedia localia omittuntur: neque reliquarum curatio difficulter intelligitur.

Gloſſoplegia.

CDLXVII. Glossoplegia nobis *eſt* reſolutio linguae, in quo nempe morbo vel motus vel ſenſus huius partis laeſus eſt. Illo amiſſo loquela et deglutitio, hoc autem ſublato guſtus perit: poſterior tamen deficere poteſt ob encephalum adfectum vel cruſtam papillis guſtatoriis obductam cet. ſicut etiam manducati promotioni,

vocis.

vocisque articulationi varia alia impedimenta obſtare poſſunt. Ipſa autem linguae reſolutio, rariſſime idiopathica ab animi adfectu, vermibus, vulnere cet. oriunda, vt plurimum hemiplegiae ſymptoma eſt. Inter localia auxilia, ſinapina, quinimo acriora, principem locum tenere et rationales et fortuitae curationes euicerunt.

Enureſis.

CDLXVIII. Envresis ſeu incontinentia vrinae *vocatur* inuoluntaria vel etiam inſcia et plerumque ſtillatitia dolorisque expers mictio. Quod quidem malum nihil minus quam impeditum tranſitum indicare videtur, neque tamen perperam ad iſtam morborum claſſem refertur, quum inter frequentiores illius *cauſſas* haud infimum locum occupet reſolutio ſphincteris veſicae, iniuriae externae lumbis vel perinaeo illatae, iſchuriae, maxime ſpasmodicae, partus difficilis, grauiditatis, Veneris, tumoris cyſtici vel apoſtematis vacui et iterum repleti, apoplexiae, paraplegiae, debilitatis febrilis, metaſtaſeos, ſenii denique proles. Reliquae autem cauſſae perpetuum vrinae ſtillicidium efficientes ſunt imperfecta oſtii occluſio a mutato veſicae


vel

vel partis connexae ſitu, calculo alioue corpore alieno abſceſſu, tumore, vlcere: fiſtulae vrinae liberam viam aperientes: rite collectum lotium citra mentis imperium expellit irritatio a calculo vel alio ſtimulo vicinam partem vexante, tuſſis vel ſternutatio vehemens, vis couſuetudinis, delirium febrile cet. Foeda autem partium obſcenarum irrigatio non ſolum foetore aegrum adſtanteſque moleſtat, verum illi quoque dolorem, excoriationem, verrucas, inflammationem, in ſphacelum proniſſimam, creat. Diuturni et pertinacis mali *prognoſis* in vniuerſum de difficultate cauſſam tollendi pendet. Enureſeos paralyticae *remedia* externa potiſſimum conſiſtunt in variis tonicis, ſub balnei humidi vel vaporoſi, iniectionis, clysmatis, linimenti forma ſtrenue adplicandis, veſicatoriis oſſis ſacri regioni admotis, vi electrica: praecipuam autem laudem meretur frigida adſperſa. Symptomatica vrinae incontinentia quoad therapiam morbum primarium ſequitur. Quae noctu infantes polluit, mictio inuoluntaria praeuertitur poenae formidine, abſtinentia a potu tempore veſpertino, veſicae ante cubitum exoneratione

ne, quinimo dormientis excitatione ad mingendum. Clauſtrum coli iniiciendum, quo vrina retinetur, veſica vel ſpongia ſtillantem excipiens, auerſabile malum minus moleſtum reddunt.

Cauloplegia.

CDLXIX. Cavloplegia *eſt* impotentia mentulae rigendi a partium erigentium reſolutione vel ſumma debilitate. Prioris *cauſſae* origo in laeſa medulla ſpinali vel apoplexia praegreſſa eſt quaerenda: alteram ſenium, morbus extenuans, ſaepiſſime Venus immodica, praecox, turpis gignere ſolet. Vtrique *medendum* eſt tonicis toties dictis, maxime balneo frigido: libidine fracto moderatiores caſtae vegetaeque coniugis amplexus ſuccurrunt. A flagellatione temporariam opellam exſpectant miſeri. Impotentia ſenum immedicabilis eſt neque impune excitantibus tentatur.



SVBSECTIO V.

CORRVPTIONES.

CDLXX.

Corrvptiones *dicimus* morbos, in quibus pars organica ſingularis vel plures omni vitae nota deſtitutae adparent, inque ſua textura a naturali cohaeſione vsque adeo aberrant vt ocius ſerius a reliquo corpore diſſoluantur. Diriſſimi mali *principium* ab impedito vel ſponte ſubſiſtente vis neruaeae tranſitu repetendum eſt: cuius tamen cauſſae natura et agendi modus egregie differre videtur.

CDLXXI. Corrvptio non ſolum partes molles verum etiam oſſa inuadere poteſt. Ad poſteriorem referri poſſet Cariei ſpecies, quam tamen commodius alio loco proponi poſſe putamus. Vnde hic tantum conſideranda venit illa corruptio, quae partes molles occupat, *Sphacelus* communi nomine dicta, cuius autem duo dantur genera ſeorſim omnino pertractanda, *Gangraena* nempe et *Necroſis*. Illam enim cum ſummo inflammationis gradu confundere aque Sphacelo diſtinguere abſonum eſt.

CAPVT

CAPVT I.

GANGRAENA.

CDLXXII.

Gangraena seu Sphacelus humidus *dicitur* partis alicuius organicae corruptio cadauerosa; in qua nempe solidum non solum omni vitae dote priuatur, verum etiam tabi putridi instar dissoluitur.

CDLXXIII. Cvivs *signa* vel in parte adfecta, vel in vniuerso corpore occurrunt. Et primo quidem *pars adfecta* plerumque inflammata omni sua functione, quatenus nedum laesa erat, priuatur, frigescit, mollescit, flaccescit, digitique impressi vestigium, veluti oedema (cclxxxvii) retinet dolores, si qua adfuerant, simul cum omni facultate sentiente et motrice, euanescunt, color ex natiuo vel phlogistico vel hydropico in atrorubrum vel pallidum, deinde liuidum gryseum, nigricantem demum transit, epidermis a cute secedit vel squamas vel vesiculas formans, prodeunte vna ichore subrubicundo, pallide flauo ac denique atro aut liuido, partemque non amplius vitae participem putri-

da

da et foetidiſſima cadauerum diſſolutio inuadit. Signa gangraenae particularis in *reliquo corpore* obuia haec ſunt: horror crebrius reuertens, ſumma debilitas in motibus vitalibus et voluntariis aeque conſpicua, putor cadaueroſus ſudorem, vrinam, deiectiones que inficiens, ſubſultus tendinum, conuulſiones, extrema frigida latice glutinoſo perfuſa, et varia alia, quae inſidioſe mitia vitam ſubruunt. His pro diuerſa partis gangraenam paſſae, internae nimirum, dignitate diuerſa accedunt ſymptomata: ſic fauces ſphaceloſae ſpiritum foetidum reddunt, gangraena abdominis viſcera depaſcens meteorismum creat. Neque adducta illa ſigna communia adeo ſunt perpetua, quin notabiles patiantur exceptiones. Gangraena a decubitu rariſſime per ſe vitae nocet; quae per metaſtaſin febribus ſuperuenit morbum plerumque mitigat. Alia datur quae ab extrema quadam parte lente proſerpit, oeconomiae vitali in corpore ſat diu parcens.

CDLXXIV. Gangraenae *principium* conſiſtere videtur in fluido nerueo ſtagnante torpente aut vitiato, vnde motus vitalis ſuffla-

mina-

minatur, humores congesti, quiescentes, resolutionem putridam subeunt partesque continentes quinimo vicinas, quousque per telam cellulosam proserpunt, in similem corruptelam deducunt. Talem vero torporem aut labem illi fluido inducere valet quidquid circulum sanguinis, venosi praesertim vel spirituum vitalium intercipit, vel vtrumlibet liquidum subtrahit, vel motum viribus vitalibus maiorem concitat, vel naturalem exstinguit, vel partis integritatem laedit, vel acrimonia venenataue indole generi nerueo nocet. Vnde intelligitur ad Gangraenae *caussas* referenda esse, anevrysma spurium, conuulsiones, spasmum, decubitum diuturnum, ligaturam strictiorem, fracturam, luxationem, ossificationem, tumorem, herniam aliamue compressionem, obstructionem, strangulationem, tum etiam paralysin, porro senium decrepitum, haemorrhagiam vel aliam euacuationem profusiorem, tabem, marasmum, summam inflammationem, ardorem, gelu, ambustionem, vulnus, contusionem, lacerationem, corrosionem, miasma malignum, putridum, acrimoniam scorbuticam, forte quoque specificam, lympham, ichorem, pus cor-

ruptum, morſumque nonnullorum animalium. Spontanea denique obſeruatur gangraena, cuius ſaltem cauſſa nulla coniectura probabilis redditur; haec viros praeprimis, aetate prouectiores, lauteque viuentes corripit, pedem primo inuadens.

CDLXXV. Pro diuerſitate cauſſae, virium aegroti, partis adfectae et progreſſus morbi *prognoſis* differt. In vniuerſum magis periculoſa eſt, quae a cauſſa interna vel ſua ſponte accedit. In partibus laxis, multo humore, acri praeſertim perfuſis, calore et putore fotis vel vehementer debilitatis citius proſerpit et difficilius domatur, vti in naribus, ore, faucibus, viſceribus abdominalibus, pudendis, perinaeo, hydropicorum denique pedibus obſeruare eſt. Vbi adſunt ſigna diſſolutionis humorum putridae, gangraena lethalis eſt. Quodſi vero margines circa partem gangraena non amplius adſcendente correptam genuinae inflammationis et ſuppurationis notas monſtrent, laeta ſpes illuceſcit.

CDLXXVI.

CDLXXVI. Qvvm corruptio ſphaceloſa non admittat tantam partium adfectarum reſtitutionem, vt priſtinam integritatem recuperet quidquid putredine iam correptum et deſtructum eſt, omnis *curatio* chirurgica verſatur in eo, vt gangraena imminens auertatur, praeſens coërceatur, corrupti denique ſeceſſus promoueatur. *Inſtantem* ſphacelum humidum tempeſtiua cauſſae cognitae ablatione, ſaepiſſime vero ſtrenua phlogoſeos debellatione (CLXXII) auertere conatur Chirurgus. Eadem indicatio locum habet quoad gangraenae iam *praeſentis* limitationem. Diuerſa autem cauſſa perſpecta diuerſam poſcit medelam: circuli obſtaculum remouendum et eiusdem languori ſtimulantibus aromaticis validis medendum eſt: motus vitalis nimis excitatus euacuantibus, deriuantibus, reſoluentibus efficaciſſimis compeſcatur: ſpicula glacialia lentam et cautam ſolutionem (CCLXVII) deſiderant: violentiae qualiscumque effectui occurritur promtiſſima irritamenti phlogoſeosque inde natae ablatione vel mitigatione: autem veneno ſuum opponitur antidotum. Spontaneam ſenum gangraenam opii vſu debellatam fuiſſe legimus.

Saepe etiam totius partis adfectae, quinimo suspectae resectione mali progressus sistitur. Corrupti *separatio* adiuuatur prudenti emollientium atque suppurantium, limiti partis sanae imprimis admouendorum vsu, nonnumquam ipsius cultri adminiculo opus est. Quae pro variis his indicationibus maxime laudantur, stimulantia lenia aromatica et discutientia sunt Scordium, Absynthium, Ruta horumque decocta vinosa, Myrrha vel Aloë soluta, Sal ammoniacum, Aqua calcis viuae. Ad antiseptica pertinent spiritus fermentatione producti, acores vegetabiles vel sub debita dilutione minerales, sal commuuis, cortex Peruuianus, Camphora et alia ex stimulantium classe: forte quoque aër fermentatione vel efferuescentia e corporibus euolutus: neque parui momenti est mundities, atmosphaera pura cum reliquo regimine congruo. Suppurantium titulo praeprimis in vsum trahuntur vnguenta digestiua dicta, terebinthinata. Scarificationes, incisiones et aliae encheireses ad separationem corrupti adhibendae pro diuersa mali sede in textum cellulosum, adque subiacentes musculos vel tendines ipsos penetrare

trare debent: partem ſanam vero attingentes ſuſpectae ſunt. Reſectio partis gangraenoſae ſeu Amputatio ſingularem meretur pertractationem.

CDLXXVII. In vniuerſum quidem *Amputatio* eſt cuiuslibet partis morbo correpti vel vitio notati ablatio chirurgica, vſitatiore autem ſenſu dicitur operatio, qua pars quaedam ad extremitates pertinens ferramentorum ope ab reliquo corpore ſeparatur. Quae non ſolum a membro immedicabili adfectione moleſto vel etiam morbi contagione periculoſo liberat, verum quoque ſaepiſſime ea arte perficitur, vt membrum artefactum in locum ablati ſubſtitui queat. Vnde intelligitur, remedium, quod in quam plurimis iisque miſerabiliſſimis periculoſiſſimisque adfectibus ſolum ſupereſt, neque raro certiorem, citiorem et minus crudelem ſanationem promittit quam alia quaecumque methodus, non plane ex Chirurgia eſſe proſcribendum. Verum enimuero triſti hocce et duro auxilio, ſemper momentoſo et periculoſo, vti non licet, niſi nulla alia ſuperſit vitam ſeruandi ratio: omnino relinquendum eſt, quoties vires aegroti operationi eiusque ſequelis ferendis

 impa-

impares ſunt, aut omnis cauſſa effectusue morbi, quantumuis amputetur, tolli nequit. Hinc neque Gangraena neque Necroſis amputationem admittit, antequam morbus ſubſtiterit atque haud aequiuoca ſuppurationis laudabilis ſigna apparuerint; cauſſa enim mali non ablata vel ſaltem ſuppreſſa corruptio in extremo truncato renaſcitur. Perinde intutum eſt remedium ſi partem, in qua amputatio inſtituenda eſſet, ſtupor occupet. At vero in ſolo hoc auxilio omnis aegrotum ſeruandi ſpes poſita eſt, quoties corruptio neque progreſſum minans, neque vlteriori generis neruoſi labi iuncta, vel Paedarthrocace vel caries profundior, articulos inprimis petens, artum depaſcit, quoties membrum totalem comminutionem paſſum eſt, quoties ichor ex parte adfecta reſorptus febrem exitialem alit, quoties denique tanta adeſt trunci arterioſi laeſio, vt indomabilis haemorrhagia vitae periculum inferat, vel clauſo canale artus ſanguine deſtituatur. Neque adeo culpandi ſunt miſeri, qui membrum poſt reſtitutionem vtcumque demum obtentam inutile et moleſtum futurum reſecari malunt.

CDLXXVIII.

CDLXXVIII. Delectvs loci, vbi amputatio instituenda est, potissimum pendet de sede et progressu morbi, habito simul respectu ad commodum extremi truncati motum, adque facilem membri artificialis adaptationem; semper vero in parte sana fieri oportet sectionem, ea tamen cautela vt huic, quantum res concedit, parcatur. Os autem vel in corpore suo praeciditur vel articulo soluto exstirpatur.

CDLXXIX. Privsqvam vero ad operationem accedat Chirurgus, id agendum est, vt haemorrhagiae a tanto vulnere inseparabilis pericula praepediantur. Hinc truncum arteriae supra locum amputationis ossi subiacenti adprimere oportet: quod vario modo fieri solet. Et primo qnidem globulus oblongus, firmus, e linteo conuoluto confectus, spleniqne adfixus ad dictum partis resecandae locum iniecto splenio firmatur. Hoc bis circumire debet funiculus firmus, planus, ita deinde ligandus, vt nodus globulum spectet, quo facto et interiecta lamina chartacea crassiore, bacilli perducti ope eousque contorqueatur, donec nulla amplius supersit sanguinis arterias infra vincturam distri-

butas ſubeuntis ſuſpicio. Circularis haecce conſtrictio ſimul adeo obtundit ſenſum, vt ipſa ſectio inſequens minorem dolorem creet. Alia autem et magis compoſita machina tortilis, Petitianae nomen ab inuentore habens, diuerſimode deinde emendata, e metallo fabrefacta funiculoque inſtructa, priori ideo praeferenda eſt, quod dicto ſplenio globulum adfixum firmanti rite adaptata truncum arterioſum aeque comprimit, ſanguinem vero per ramos collaterales fluere ſinit, neque ſenſum adeo obtundit, vnde haec torcularis ſpecies compreſſionem per longius tempus tolerandam et quoad ſequelas minus ſuſpectam exerit. Arteriae autem, quae tali apparatu comprimi poſſunt, ſunt bracchialis, ad mediam et internam humeri partem, ſub bicipite muſculo; cruralis, ad mediam et internam femoris partem inter muſculum adductorem femoris et vaſtum internum; poplitaea, ad infimam et poſteriorem femoris partem in poplitis cauo. In morbo denique amputationem in ſuprema bracchii femorisue parte faciendam indicante, arteria ſubclauia vel inguinalis globuli digitis adprimendi, vel ſolius digiti

giti ope, qua coſtam ſupremam vel os innominatum ſupergreditur, comprimenda eſt

CDLXXX. Apparatv amputationis tam ad ſectionem quam deligationem pertinente, ita diſpoſito vt adſpectus non perterreat aegrotum, iſthoc commode collocato parteque reſcindenda ſolito artificio vel ſingularis macchinae a recentioribus excogitatae ope firmata, cutis ab adſtante Chirurgo verſus ſuperiora retrahitur, et faſcia iniecta retinetur, quod vt ex ſententia ſuccedat ipſaque inciſio a debito limite aberrare nequeat, parua ab illo vinculo diſtantia altera iniicitur faſcia, priori quantum fieri poteſt parallela. Hoc facto Chirurgus, qui membri exſtirpandi interiori parti obuerſus ſtat, cultro falcato vel recto maiore inter dictas vincturas circumducendo integumenta vna cum carnibus, ſectione circulari diuerſaeque pro diuerſa parte profunditatis, transſcindit: laxato deinde ligatura ſuperiore et retractis muſculis quidquid carnium oſſi adhuc adhaeret penitus diuiditur, quod in crure et antibrachio inter vtrumque os ſcalpelli recti anticipitis miniſterio perficitur. Perioſteo denique eadem directione inciſo ac ver-

ſus inferiorem partem raſo os reſecandum vndequaque denudatur. Jam carnibus praeciſis ſubinde linteo ex vna parte ſciſſo retractis os ſerrula admota continuo reſcinditur; cruris vero vel antibracchii amputatione ſerra primum tibiam vel radium, ſciſſionisque initio facto vtrumque os petere debet, vt ambo demum vna ſecentur.

CDLXXXI. Ablato membro torcular paululum relaxatur, quo ſanguis proſiliens truncos arterioſos prodat, quibus ſingulis filo cerato compoſito acus curuatae ſub ipſis caute perducto vna cum celluloſi textus aut, ſi iſte tenuior fuerit, carnis vicinae aliqua parte, ligatura iniicitur. Minorum autem arteriarum conſtrictio, nonnullis quidem laudata per ſe non neceſſaria, et ob ſymptomata, quae multiplicata diuerſarum partium mollium compreſſio productura foret, ſuſpecta rectius omittitur. Adplicationem Agarici quercini ad arteriam patulam, huiusque compreſſionem lateralem, glomeribus e linteo carpto aut agarico confectis atque gradatim maioribus, ex arte admotis conuienientique adparatu ſuſtentatis praeſtitam, ad ſanguinis profluui-

fluuium absque ligaturae adminiculo compescendum sufficere, repetito successu compertum est.

CDLXXXII. Partibus mollibus adductis vulnus linamentis carptis siccis obtegitur et peculiari fascia, illarum, cutis praesertim, attractionem duraturam inducente, adparatus firmatur, cauendo tamen ne circularis constrictio partes obtruncatas violenter comprimat. Post triduum vel quatriduum vulnus denudatum ad methodum suo loco exponendam deligetur. Successiua ossis protuberantia, post femoris amputationem frequentius occurrens, momentosa semper et propter diutius protractam suppurationem saepe exitialis, a musculorum retractione, partium mollium colliquatione nimia, deligatione praua carnes reprimente, cautelarumque (CDLXXX) expositarum neglectu oriunda, integra, neque periosteo priuata serrula resecatur: quodsi vero denudatur et vitiatum fuerit os, vel exfoliationi Naturae viribus praestandae committitur vel causticis consumitur quatenus necessitas iubet; attractio partium mollium interea fasciae idoneae adminiculo ad perfectam sanationem vsque continuatur. Symptomata ex tardiore ligaturae

turae ab arteria feceſſu aut nimis matura eius obtectione haud raro naſcentia forfex, illam caute ſoluens, tollit.

CDLXXXIII. Alia amputationis methodus, quam a relicta tegumentorum carniumque parte *panniculatam* dixerunt inuentores, ea eſt, qua partes molles, non inciſione circulari, ſed primum longitudinali, deinde transuerſali vel obliqua, tali modo reſecantur, vt os altius transſcindi vulnusque panniculo partium mollium ſic ſeruato obtegi poſſit. In cruris amputatione ſurae caro ſingulum panniculum pro commodo vulneris tegmento praebere videtur, ſcalpello nimirum transuerſim prope tibiae fibulaeque mediam et poſteriorem partem transiecto indeque verſus inferiorem et externam ſurae partem producto; in femoris autem bracchiiue exſtirpatione duo panniculi laterales efformandi ſunt. Relicta plaga eique admota caro adiuuante faſcia a litera T nomen habente, ſimplice vel duplice, vel peculiari adparatu reunioni committitur. Hanc amputandi rationem vario quidem reſpectu prae altera (CDLXXXI) expoſita laudandam eſſe negari non poteſt: quippe minus

nus secum vehit haemorrhagiae periculum, rariorem ossis exfoliationem, symptomata denique in vniuersum mitiora, sicuti etiam commodiorem membri artificialis adaptationem admittit; verumtamen suis quoque iisque haud leuibus premitur incommodis: suppuratio enim inter panniculum et extremum truncatum cuniculos, cariem et alia mala creare potest: quamquam recentiorum experimentis constet, infaustas hasce sequelas magnam partem praepediri posse, si non statim ab exstirpatione, sed triduo demum vel quatriduo praeterlapso, adeoque partibus suppurando iam laxatis, panniculus ad extremum truncatum adplicetur.

CDLXXXIV. Ampvtatio in contiguitate ossium seu *articulo* difficilius in vniuersum succedit, quia maior ibi datur textus ossei ambitus, partesque molles lentissime ad obtegendum illum concurrunt. Duram tamen eius necessitatem infert morbi progressus. Humeri autem ex articulo excisio emendata methodo sic peragitur: musculo deltoide versus scapulam separato ligamentisque solutis, caput ossis e cauo glenoide sursum educitur, ligatis deinde vasis exil-

laribus

laribus, neruis altius absſciſſis; reliquisque partibus mollibus reſectis; largo vulneri deltoides muſculus relictus imponitur, quo facto partium reunio a Naturae viribus exſpectanda eſt: illam tamen cartilagine articulari ablata facilius ſuccedere nuperis experimentis conſtat. Capitis femoris exſectio e cauo cotyloide tali modo inſtituta, vt ligatis vaſis inguinalibus ingens plaga panniculo muſculorum glutaeorum relicto obtegi queat; in cadaueribus facta poſſibilitatem ſucceſſus quidem euicit; in viuis autem nedum tentata eſt; neque probabile videtur; ſimilia pericula optato euentu comprobatum iri.



CAPVT II.

NECROSIS.

CDLXXXV.

Necrosis seu Spacelus siccus in eo a Gangraena (CDLXXII) *est* diuersa, quod pars vita quidem orbata, Mumiae instar exsiccatur, neque veram putredinem subit. Vnde patet quomodo Necrosis differat a Marasmo.

CDLXXXVI Imminentem et praesentem morbum sequentia declarant *signa:* pars adfecta, plerumque post praeuium dolorem, sine omni caussa externa praegressa vel intumescentia, stupescit, color natiuus in liuidum, plumbeum, nigricantem mutatur, motus sensusque aboliuntur, torosum corrugatur, molle, calidum[1], inodorum siccescit, frigescit, et plerumque foetescit, in limine mali superuenit suppuratio gangraenosa[1], deinde laudabilis, emortuumque tandem a viuo, salua aegroti vita, separatur. Extrema maxime hoc malo deturpari solent.

CDLXXXVII. Necroseos *principium* forte ab illo cui Gangraena debetur, non nisi incognita ratione differt: exsiccatio autem dissolutionem

nem putridam excludere videtur. *Cauſſae* frequentiores ſunt ſenium, circulum ſanguinis languidum, vaſorum rigiditatem, ſaepe etiam arteriarum oſſeſcentiam ſecum vehens: interceptio circuli ſanguinei nullo modo reparandi, ſicut poſt trunci arteriae compreſſionem vel abſciſſionem: compreſſio integumenta partesque ſubiacentes in eſcharam nigram circumſcriptam mutans, vti coccygi, natibus vel coxae nonnullorum aegrotorum per longum tempus lecto adfixorum, nec non calci pedis illorum, qui ſollemnem fracturae extremitatis inferioris tractationem paſſi ſunt, accidere ſolet: febris maligna, quae non ſolum locis corporis immunditie aut compreſſioni obnoxiis, verum etiam aliis partibus hanc corruptionem infert: cibi ex frumento vſtilagine inquinato in certis regionibus ſingularem crudelique dolore ſtipatam manuum pedumue Necroſin creare ſolent: ipſa denique gangraena nonnumquam ſucceſſiua fluidorum euaporatione in Necroſin transformatur.

CDLXXXVIII. Qvoad *prognoſin* hoc malum a Gangraena vix differt: lentius tamen proſerpit adque corrupti ſeparationem peruenit Necroſis,

ſis, quid? quod poſt integros menſes et annos pars emortua corpori adhaeret. Quae a compreſſione originem trahit prae reliquis medicationem admittit: febribus mali moris ſuperueniens ſaepiſſime metaſtaſin haud infauſtam promittit, mutata morbi facie ab illa, quae ſimpliciter ſymptomatica eſt, facile dignoſcenda.

CDLXXXIX. Necroseos *curatio* chirurgica easdem indicationes et auxilia praecipit ac Gangraena (cddxxxiv); probe tamen cauendum eſt ab audaci emollientium vſu aque negotioſa ſcarifatione et emortui ablatione, ſiquidem ſphacelus humidus exinde naſci citioremque deſtructionem diffundere poteſt. Neque ſcalpello vel medicamentis imprudenter tractanda eſt Necroſis metaſtaſeos beneficia promittens. Quae circa amputationem partis gangraenoſae (cdlxx) diximus, etiam de necrotica valent.

SVBSECTIO VI.

SVFFOCATIONES.

CDXC.

SVFFOCATIONEM *dicimus* morbum, morti ſimillimum, in quo ipſae functiones vitales a cauſſa quadam externa ſubitiſſime licet absque grauiore continui ſolutione eo usque feriuntur, vt corpus exanime adpareat, et quidquid vitae ſupereſt vix et ne vix quidem experimentis cognoſcatur, tempeſtiue tamen et ſtrenue adhibitis auxiliis, maxime externis, ſuſcitandum. Vnde patet quomodo Suffocatio differat ab apoplexia aque variis Aſphyxiae ſpeciebus vel ab exinanitione ortum trahentibus vel mere ſymptomaticis. Difficilius autem eſt cum certitudine determinare irreuocabilem mortis adparentis in veram tranſitum: parum enim exinde concludi poteſt, ſi omnis artis conatus irritus fuerit, ſiquidem plerique homines, proh dolor! ſuffocato ſeruando vel nullam vel ſegnem negligentemque nauant operam: neque nouimus quousque virium vitalium reliquiae vel alia vitae ſubſidia, ſub ſummo periculo forte nata, perituram flammulam

lam alunt: quod praecipue de iunioribus valet.

CDXCI. Sollemniores ſuffocationis *cauſſae* ſunt ſubmerſio, ſtrangulatio, reſte, vel manu collo violenter illata, thoracis ventrisue compreſſione, corpore alieno viis aëriferis impacto, lingua retrorſum acta, ſpiritu ſponte cohibito facta, aër mephiti vel aliis vaporibus vel ſtagnatione corruptus, ſideratio, lapſus, animi pathema.

CDXCII. Diversa autem *prognoſis* et *therapia* eluceſcent ex ſpecialiore mali pertractatione.



CAPVT I.

SVBMERSORVM CVRA.

CDXCIII.

Aqvae immerſus quam citiſſime, absque violenta tamen opera, extrahatur veſtimentisque madidis exſutis in aëre libero, puro, temperato ſtragulis tepidis capite pectoreque eleuato imponatur et diuerſimode commoueatur, capitis ſitu nequaquam mutato. Mox vas quoddam ſanguiferum circa caput, vena iugularis externa vel frontalis, vel arteria temporalis ſecetur, quo facto vena in bracchio larga inciſione aperienda eſt, quin etiam ipſa arteria radialis tundi debet, niſi vena ſat liberaliter ſanguinem fundat. Exemto interea muco tenace, qui oris nariumque cauum occludere ſolet, homo vegetus ſpiritum ſuum forti inflatione in ſuffocati vias aëriferas, omni ſubterfugio clauſo, repetitis conatibus transmittere adnitatur, attendendo numne motus thoracis exinde percipiatur. Inteſtinorum autem actio fumo tabaci in anum immiſſo ſuſcitanda eſt, adhibita ſimul lenta et continua ventris contrectatione. Quodſi aëri per os inflato

flato obſtaculum quoddam occurrat, illi tracheotomia (CCLI) inſtituta, rectum in Aſperam arteriam iter procurandum eſt. Totum denique corpus pannis calidis aſperis vario vapore ſtimulante impraegnatis confricetur. Non omnibus ſubmerſis aeque conducit faucium nariumue irritatio digiti, plumae, fumi tabaci vel ſalium volatilium miniſterio facta. Auxilia recenſita non ſolum feſtinanter ſed etiam patienter adhibeantur, neque inutilibus pluribus conatibus deſiſtat Chirurgus, ſiquidem integrarum nonnumquam, neque adeo paucularum horarum opera demum ſcopum contingi experientia conſtat. Neque ad prima vitae redeuntis indicia ſollertia remittat, ſed coeptum laborem pergat, donec omne periculum euanuerit. Renaſcentibus autem functionibus vitalibus maior caloris gradus in corpus transmittatur lauatione aquoſa, acetoſa, vinoſa, ſpirituoſa calida, vel arena, ſale, cineribus, ſtragulis calidis illud excipientibus. Reſtituta facultate deglutiendi, cauta ac lenta vini calidi inſtillatione atque fractis potus calidi hauſtibus refocilletur ſuſcitatus. Egregie tum quoque iuuat emetico propinato primam

culinam

culinam expurgare genusque neruofum excitare, id tamen curando vt hocce auxilium aeque ac alia fanguinis raptum verfus caput forte producta vel refpirationi molefta omittantur, donec encephalus pulmoque non amplius compreffus fuerit. Congelato autem corpori praeter praefidia hactenus expofita ea deinde, quae ad extrahendum gelu inferuiunt, remedia in vfum trahantur, in hoc faltem cafu fufpenfa manu adhibendus eft calor.



CAPVT

CAPVT II.

CORPORE ALIENO SVFFOCATORVM CVRA.

CDXCIV.

Svffocatio ab corpore quodam alieno, qualicumque demum modo in glottidem, tracheam vel bronchias delapſo vel glottidem obſerante, citiſſime necare poteſt. Quodſi tuſſis ſponte nata vel vomitus arte concitatus alieno reiiciendo impar ſuerit, ſola ſalus aegroti in tracheotomia (CCLI) inſtituenda haeret, quae ſecundum recentiora experimenta tunc quoque ſucceſſum promittit, quando illapſum in ipſa bronchia haeret, ſiquidem hoc aëris flumine ad tranſciſſos annulos tracheae adducitur. Conferantur ſimul quae de ſimili Anginae ſpuriae (CCL) diximus et ad calcem operis proponentur.




CAPVT III.

LAQVEO STRANGVLATORVM CVRA.

CDXCV.

Qvoties ſuſpenſum in vitam reuocare fas eſt, laqueo quam citiſſime transſciſſo demittatur corpus, probe cauendo a noua iniuria. In aëre frigido puro conſtitutum aque omni veſtimentorum ſtrictura liberatum ſimili fere ratione, ac ſubmerſi, tractetur, caute tamen abſtinendo ab illorum vſu quae congeſtionem ſanguinis in capite augere poſſunt. Vnde redeuntibus vitae ſignis idonea therapia reuellente et deriuante ſuccurrendum eſt encephalo. Patet quoque excitantia ſpirituoſa, alcalina, mechanica, ſuſpenſa manu et remotioribus a capite partibus eſſe adminiſtranda. Tutiora ſunt clyſmata irritantia reuellentia. Laquei veſtigia in ceruice epithemate diſcutiente et ſi res exigat antiſeptico deleantur.



CAPVT

CAPVT IV.

VAPORE SVFFOCATORVM CVRA.

CDXCVI.

QVICVMQVE in aëre vaporibus ſulphuris ardentis, carbonum, metallicorum, ſuaueolentium, fermentantium, putreſcentium vel ſtagnatione ad reſpirationem inepto vel alia forte ratione nociua reddito, quaſi inanimis concidit, ſeruari non poterit, niſi ante omnia aurae purae, frigidae capite eleuato, maxillis diductis, exponatur. Hoc ſummum praeſidium eſt: cui non ſine fructu iungitur adſperſio aquae frigidae. Deinde quoque, prout res poſcit, alia excitantia vel deriuantia vel euacuantia in vſum trahuntur. Foeminas effluuiis ſuaueolentium ſuffocatas haud parum iuuant foetida incitantia naribus admota. Quousque ſalis alcálini volatilis fluoris virtus reſuſcitans, nuperrimo celebri cxperimento comprobatata, ad homines ab aëre corrupto ſuffocatos adplicari poſſit, dies docebit.




CAPVT V.

FOETVVM SVFFOCATORVM CVRA.

CDXCVII.

Infans ad terminum, breui ante partum viuus, si absque vllis vitae indiciis natus fuerit, aut funiculi circumuolutionibus strangulatus; aut sub laboriosiore transitu violentam compressionem vel summam debilitationem passus, aut muco tenaci primas vias aëriferas obruente vel linguam palato adglutinante suscipiendo spiritui impar esse potest. In tali autem periculo caussa extemplo tollenda est, funiculus soluitur, mucus digito oleo imbuto extrahitur, lingua a palato remouetur: funiculoque dissecto sanguinis vnciola emittitnr. His pro re nata subiungitur lenis costarum agitatio, frictio, spiritus inflatio, vomitionis sollicitatio, clysma excitans, balneum tepidum vinosum, spirituosum.



CAPVT


CAPVT VI.

COMPRESSIONE AVT LAPSV SVFFOCATORVM CVRA.

CDXCVIII.

EODEM fere modo (CDXCVII) infans incubitu aut preſſione qualicumque ſuffocatus reſuscitari poterit, adhibita praecipue euacuatione ſanguinis ex bracchio, collo, capite: aëreque frigido liberaliter admiſſo.

CDXCIX. Neque a dictis aberrat medicatio infantis vel adulti, qui poſt lapſum exanimis adparet, quique pulſus et reſpirationis defectu ab illo, cuius cerebrum a ſimili cauſſa commotionem vel compreſſionem paſſum eſt, facile dignoſcitur. Praemiſſa euacuatione ſanguinis, ſcrupuloſaque deinde corporis perſcrutatione ad excitantia toties laudata procedendum eſt, niſi laeſio quaedam localis ſingularem curationem exigat.




CAPVT

CAPVT VII.

PATHEMATE SVFFOCATORUM CVRA.

D.

IRA excandefcentem aut terrore metuue pereulfum fuffocationis fpecie profterni non raro obferuamus. Priori fimili fere ratione ac apoplectico fuccurrendum eft: pofteriori magis conueniunt excitantia, haud neglecta tamen praeuia fanguinis miffione: vtrique haud exiguam opem ferunt clysmata non adeo acria et pediluuia.



CAPVT

CAPVT VIII.

LINGVA VEL COHIBITO SPIRITV SVFFOCATORVM CVRA.

DI.

Infans denique lingua inuersa et pro parte deglutita, siue longitudinis excessu siue laxiore nexu peccet, suffocari poterit, in hoc periculo lingua digito immisso retrahenda et therapia superius exposita adhibenda est: nouo relapsui occurritur vinculo vel alio obstaculo mechanico.

DII. Dantvr etiam mancipia Africana, quae lingua, si satis volubilis sit, in fauces retrusa mortem sibi consciscunt, nisi tempestiua adferatur opera. Egregiam praestare solet fustis scapulas pulsando tussin concutientem aemulans. Eodem remedio ad respirandum cogitur qui spiritu pertinaciter cohibito strangulationem meditatur. Facile autem adparet, neque in priori casu dictam (DI) encheiresin omittendam, neque in altero mitiorem Chirugiam, simplicem nempe thoracis commotionem vel faucium irritationem, postponendam fore.


CAPVT

CAPVT IX.

FVLMINE TACTORVM CVRA.

DIII.

Sideratis eadem conueniunt auxilia, quae reſte ſtrangulatos vel aëre corrupto ſuffocatos iuuant. Omnis autem cardo vertitur in dignoſcendo ſtatu generis neruoſi, quod vel a ſanguine intra cranium accumulato vel a ſimplice virium vitalium inertia torpere poteſt. Perſpecta alterutra cauſſa facile inuenitur medendi methodus, aut Apoplexiae aut Paralyſeos therapiae ſimilis. In vniuerſum ſanguinis miſſio praemittenda, deinde Chirurgia excitans efficaciſſima adhibenda eſt. An vtile vel tutum ſit, fulmine tactis vim electricam extemplo admouere, maturior experientia declarabit.



INSTI-

INSTITVTIONVM
CHIRVRGIAE
HODIERNAE

LIBER SECVNDVS.

SCETIO III.

MORBI EX SOLVTIONE CONTINVI.


DIV.

MORBI ex ſolutione continui nati, praecipuam Chirurgi curam ſibi vindicant auxiliorumque externorum dignitatem egregie comprobant.

DV. COMMVNE eorum *principium*, ſublata nempe partis organicae cohaeſio ſeu continuitas, adeo obuium eſt, vt nulla explicatione egeat. *Cauſſae* ſunt variae violentiae et acrimoniae externae vel internae.

DVI. QVVM autem hae cauſſae ipſaeque continui ſolutiones ab iis inductae vario reſpectu ſint diuerſiſſimae, et *prognoſin* et *therapiam* horum morborum multimode differre patet.

DVII. INGENS morborum huc referendorum numerus commode in quatuor ordines diſponitur, quorum primus *Vulnera*, alter *Apoſtemata*, tertius *Vlcera*, quartus *Fracturas* comprehendit.



SVBSECTIO I.

VVLNERA EORVMQVE CHIRVRGIA.

DVIII.

QVAE de vulneribus, ampla et multipartita morborum classe pertractanda veniunt, sub duplici conspectu commode ponuntur, quoad nempe de illis vel *in vniuersum* vel *in specie* valent.

CAPVT I.

VVLNERA IN VNIVERSVM.

DIX.

VVLNVS in genere *vocatur* recens hiansque continui solutio a caussa mechanica, sanguinem vtplurimum fundens.

DX. OMNIS vulneris *principium* est cohaesio partis solidae a qualicumque caussa mechanica superata. *Caussa* vel est corporis mechanice laedentis in corpus humanum actio aut reciprocus corporis in tale instrumentum impetus, vel tensio violenta vndecumque nata.

DXI.

DXI. Vvlneris *diagnoſis* generalis eruitur ex ſignis ſenſualibus ac rationalibus. *Senſualia* viſui tactuique ſeſe offerunt: viſus plagae extenſionem externam et comparato cum eadem inſtrumento profunditatem declarat: tactu ſtatus labiorum vulneris partiumque vicinarum deprehenditur: prudenti digiti vel ſpecilli immisſione, quae tamen numquam niſi vrgente neceſſitate fieri debet directio et profunditas vulneris indagatur. *Rationalia* autem ſigna ex notione anatomica et functionibus laeſis perſpectis deſumuntur.

DXII. Haec tantum de vulneribus omnibus valent: reliqua generalia variant prout vulnus vel ſimplex vel complicatum eſt. Vnde iam exponenda veniunt quae *ſimplicibus* ſunt communia.

Vulnus ſimplex.

DXIII. Vvlnvs *vocatur* ſimplex, quod in corpore ſano inſtrumento puro ſecanti debetur, nullis grauibus ſymtomatibus ſtipatur et nil niſi reunionem deſiderat.

DXIV. Cvivslibet vulneris ſimplicis indiuidui comites ſunt *dolor*, ſub diuiſione ipſa notabilior, deinde miteſcens, ex diſſolutis, tenſis, denudatis, irritatis fibrillis nerueis, cutaneis praeſertim, ortum ducens; *labiorum hiatus*, elaſtica cutis retractione inductus; modicum *ſanguinis profluuium*, a ſoluta vaſorum ſanguiferorum integritate proueniens, ſalutare et ſponte ceſſans, dum vaſa coarctata coagulo, quod vulneris frontem quoque obtegit, obturantur ſero cruento transſudante; labiorum *tumor inflammatorius* poſt ſuppreſſum ſanguinis fluxum ex ſtimulo praegreſſae violentiae et ſanguinis obſtructi naſcens, non raro *febriculam conſenſualem* ſecum vehens, vel ſponte reſolubilis vel, ſi labia hiantia conglutinationem citiſſimam haud admittant, *ſuppurationem* ſubiens, in quo tamen caſu non amplius vulnus ſed vlcus vel abſceſſus adeſt.

DXV. Vvlneris ſimplicis *prognoſis* illaetabilis eſſe nequit, quum omne periculum a complicatione pendeat.

DXVI. Ad *curationem*, vulneris ſimplicis quod ſpectat, ſola reunio hic indicatur, medicatricibus Naturae viribus praeſtanda, variis tamen auxiliis, ſymptomata et alia obſtacula conglutinationis remouentibus adiuuanda. Sic *labia hiantia* poſt praeuiam plagae mundationem ſub congruo partis laeſae ſitu laxata ad ſe inuicem adducuntur atque ope emplaſtri adhaeſiui et faſciae vnientis, pro vulneris partisque ratione variae, ad artis regulas iniectae coadunata retinentur. Suturarum adeo decantatarum vſus in vulnere ſimplice alienus, quid? quod in complicato vix vmquam concedendus eſt. *Dolorem* corporum alienorum irritantium ablatio, debitaque vulneris deligatio compeſcere, vel adplicata reſoluentia aut emollientia tepida ſedare ſolent. *Sanguifluxum* ſua ſponte non ceſſantem linteum carptum molliter adpreſſum facile ſupprimit. *Tumor inflammatorius* interdum Chirurgiam (CLXXV) expoſitam poſtulat. *Febris conſenſualis* pro diuerſa ſubiecti partisque laeſae irritabilitate diuerſae vehementiae, tum methodo antiphlogiſtica, tum lenioribus opiatis tempeſtiue datis egregie infringitur. Vnde etiam

 poſt

poſt operationes chirurgicas plagam maiorem infligentes vtiliter adhibetur idem remedium. Quodſi ſuppurationem admiſerit, hinc renouatam deligationem exigeret tale vulnus, ad vlcera ſimplicia referendum foret.

Vulnus complicatum.

DXVII. Vvlnvs complicatum *vocatur*, quoties talis adeſt corporis vniuerſi, vel partis vulneratae vel ipſius laeſionis conditio, vt a ſimplici illa, quam (dxvi) expoſuimus, medicatione recedendum ſit. Sic cacochymia ſeu cachexia quaecumque, morboſus partis laeſae ſtatus, ſymptomata vulnus comitantia, ſiue neceſſario ſiue caſu ſuperuenerint, illud complicatum reddunt. Multiplex inde naſcitur vulnerum complicatorum *diuerſitas*, prout nempe vel arteriam vel venam, vel neruum, vel canalem lymphaticum maiorem, vel tendinem aut aponeuroſin, vel os diuidit, aut corpore contundente, vel pungente, vel ex machina pyria iniecto factum eſt. Quae omnia ſigillatim nunc veniunt conſideranda. Morboſum corporis ſtatum praeterimus,

rimus, quum ille vulnus in vlcus transmutet, quod quoque valet de aëre nosocomiorum effluuiis putridis repletorum, qui toties infaustum reddit aliarum quoque curationum chirurgicarum successum.

Vulnus arteriae.

DXVIII. Vvlnvs arteriae *est* mechanica integritatis canalis arteriosi dissolutio, vulneri cutis partiumque interpositarum vel respondens vel minus. Prius *cognoscitur* ex sanguinis purpurei, cito coagulabilis profluuio vehementiore saltuque arteriae micationi synchrono: quae quidem eo notabiliora sunt, quo maior est canalis laesi diameter aut quo minus ille a corde distat.

DXIX. Arteriae minoris laesio in cuiuslibet partis organicae vulnere semper adest et vel sponte vel Chirurgia iam (dxxv) exposita facile sedatur. Maioris autem cordiue vicinae vulnus, ex anatomica notitia et characteristicis suis signis noscendum, tantam breuissimo temporis spatio parit sanguinis iacturam, vt inde summa debilitas, oculorum obfuscatio, tinnitus aurium, frigidus extremorum sudor, pulsus celerrimus,

 tremu-

tremulus, debilissimus, syncope, conuulsio, ipsa denique mors inferatur. Arteria minor transuersim diuisi proprio elatere sese retrahit, ostium sanguinem fundens lente constringit saltumque minuit, donec coagulo cruoris tardius effluentis hiatus occludatur et ipse canalis, humore irruente non amplius expansus, collabatur, marcescat et coalescat. Rarissime hoc in arteriis maioribus a corde minus remotis, medicatricibus Naturae viribus succedit. Neque huius conatus semper sufficiunt ad claudendam arteriam ex parte tantum dissectam, vnde ista laesio grauiorem semper haemorrhagiam parit. Deinde quoque sanguis dissolutus corporisque aut mentis agitatio ominosam sanguinis ex minore arteria iacturam inducere valet. Vnlnus arteriae plagae externae non directe respondens sanguinis arteriosi in textum cellulosum effusionem ac Aneurysmatis spurii non limitati speciem creat, quam alio loco (LXXXIV) diximus. Vnde adparet, vulneris arteriae *prognosin* pendere a canalis laesi diametro eiusdemque a corde distantia, ratione vulneris, quantitate sanguinis emissi, viribus denique et constitutione aegroti.

DXX.

DXX. Talis vulneris *curatio*, nisi solius Naturae vires suffecerint, arte praestanda desiderat profluentis sanguinis arteriosi certam suppressionem vulnerisque deinde consolidationem. *Priorem* facilitat imminutio massae sanguineae ad animi deliquium vsque, qua nempe copia humorum in arteriam irruens eiusque contractionem impediens minuitur, vires vitales, illum impetum suffulcientes, franguntur, sanguisque lentius iam motus ad coagulationem disponitur. Huic addatur arteriae laesae compressio, si fieri potest, in ipso laesionis loco instituenda: cui scopo inseruiunt glomeres ex linteo carpto, vel spleniorum gradatim maiorum fasciaeque longae, firmae, neque nimis largae, caute adstrictae, vel idoneorum instrumentorum tornatilium ope continendi. Arteriae laesio in maiore ab osse quodam distantia praegressa, si opus fuerit, externi vulneris dilatatione, fungi quercini seu glomerum e linamento carpto paratorum, spiritu vini imbutorum, ad ipsam arteriam patulam adplicationem, apta fasciatione firmandam, postulat. Grauis autem ex partiali Arteriae laesione haemorrhagia totalem canalis abscissionem

interdum requirit, quo iste retrahi hiatusque coarctari possit. Quodsi sanguinis profluuium methodo hactenus exposita compesci nequeat, ad ligaturam (CDLXXXI) recurrendum est. Cauteria siue actualia siue potentialia quaecumque ad supprimendum sanguinis arteriosi effluxum minus tuto adhiberi, experientia compertum est. Congrua vero arteriae sanguinem aduehentis compressione (CDLXXIX) impetus humorum partem laesam petentium commode infringitur. Symptomata denique, ex compressione partium fascia constrictarum nascitura, totius membri inuolutio, fascia circulari iuxta artis regulas instituenda optime auertit. Apparatus comprimens sub absoluta membri laesi quiete et conuenienti mentis corporisque regimine intactus relinquitur, donec vulnus arteriae perfecte *consolidatum* sit, haecque vel cum partibus vicinis pressione condensatis firma cicatrice concreuerit vel saltim, sanguine iam per ramos collaterales dilatatos liberam viam consequuto, plane collapsa demum coaluerit.

DXXI. Dicendvs iam venit morbus specie multiplex et euentu anceps, qui solutam canalis arteriosi

arteriosi integritatem, nisi huic tempestiua aptaque medicina parata fuerit, sequi solet: *Aneurysma* puto. Quod in vniuersum dicitur tumor morbosus a sanguine arterioso ortus. Diuiditur autem in quatuor species, *verum*, *spurium*, *mixtum* et *varicosum*.

DXXII. Anevrysma verum *est* tumor a sanguine arterioso, tunicis arteriae integris adparentibus. Vnde immerito ad morbos a solutione continui oriundos referri videtur: at aeque iniuste id a reliquis speciebus diuulseris, cuius *principium* quoque positum est in cohaesione tunicarum adeo imminuta vt non solum sanguinis impulsui debitam resistentiam opponere nequeant hincque violentam expansionem subeant, verum etiam facile rumpantur. Hoc autem inducitur a *caussis* arteriae tunicas debilitantibus, sanguinisque impetum in arteriam debilitatam augentibus, sicut nisus vehementiores, contusiones, distensiones, suppressiones haemorrhagiarum consuetarum, et congenita denique alicuius arteriae seu totius generis arteriosi debilitas. Aneurysmatis veri *differentias* quod attinet, aut totum arteriae ambitum aequabiliter distendit

aut

aut vno ſolummodo latere herniofum quaſi tumorem praebet. Deinde vel externum eſt vel internum. In nonnullis denique vnicum adeſt Aneurysma, in aliis ob peculiarem ſyſtematis arterioſi habitum plures tumores aneurysmatici occurrunt. *Cognoſcitur* externum ex tumore ad arteriam ſito, plerumque poſt illatam quamdam iniuriam oborto, figura ouato vel cylindraceo, limitibus circumſcripto, ex paruo colliculo lente inſurgente, baſi vtplurimum larga praedito, cutis colorem vix mutante; paruus preſſioni cum aliquo ſtrepitu cedit, ablata illa redit et arteriae pulſum refert; maior autem coaguloque repletus ſenſum formicationis creat, preſſuque non imminuitur. Aneurysmatis autem veri interni diagnoſis, niſi tumor pulſans aut motus tremulus extus ſentiri poſſit, incerta eſt, quum reliqua ſigna, pulſus inaequalis, cordis palpitatio, dyſpnoea, ex variis aliis cauſſis natales ducere queant.

DXXIII. Anevrysma spvrivm *eſt* tumor a ſanguine arterioſo per vulnus arteriae extra eius tunicas in communem celluloſam arteriae circumiacentem, vel in propriam canalis tunicam

cam cellulofam effufo Cuius *principium* itaque eft vera folutio continui, a cauffa, quae omnes Arteriae tunicas disrumpere, diuidere vel perforare valet, inductum. Vnde patet aneurysma fpurium vix vmquam occurrere in interioribus corporis partibus. Alia autem hic datur diftinctio, in limitatum et non limitatum. Aneurysma fpurium *limitatum* oritur, vbi fanguis arteriofus e paruo vulnere, hinc minore impetu egreffus atque coagulatus arteriae hiatum obturat aut in cellulofa arteriae tunica haerens tumorem oblongum, aut coagulo lamellatim difpofito fubrotundam eminentiam format. Lentiffime interdum augetur haecce aneurysmatis fpecies, vnde a nonnullis quiefcens feu confequutiuum falutatur. Cognofcitur ex vi praegreffa, tumore ad arteriam fito, duriore, lentisfime aucto, preffioni non cedente, cutisque colorem non mutante, fi paruus fuerit, pulfante, fi maior, obfcuriorem micationem referente. *Non limitatum* creat vehementior fanguinis ex maiusculo arteriae vulnere effufio cellulofo textu excepta. Quod quidem Aneurysma fi preffo pede cauffam fequatur, erumpens feu primitiuum

uum dicunt. Diagnoſin alio loco (LXXXV) expoſuimus.

DXXIV. Anevrysma mixtvm *eſt* tumor a ſanguine arterioſo exortus, diuiſa alterutra arteriae tunica, integris ſed lente dilatatis reliquis. *Principium* conſiſtit in imminuta, ob membranae alicuius laeſionem, canalis reſiſtentia, vnde ille ſanguini propellendo impar hunc integras tunicas in tumorem expandere permittit. *Cauſſa* eſt quidquid ſecando, pungendo, contundendo, diſtendendo, corrodendo ſingulam quamdam arteriae tunicam laedere poteſt, vnde Aneurysma verum vna alteraue tunica demum rupta in mixtum transire conſueuit. Et hic quoque dantur *differentiae*, prout nempe vel externa membrana ſuperficialis ſoluta eſt, ſicut in venae ſectione interdum accidit, vel fibrae muſculares lente diducuntur, quod ad arcum arteriarum euenire ſolet, aut interna tunica vitio quodam corroditur. Deinde vel internum eſt vel externum. *Cognoſcitur* aneurysma mixtum externum ex tumore ad arteriam, poſt laeſionem qualemcumque lente exſurgente, ſtrictiore vt plurimum baſi praedito, ceterum aneurysmatis veri

veri maioris minorisue ſigna prae ſe ferente, prout ipſa vel maior fuerit vel minor. Aneurysmatis mixti interni diagnoſis aeque ambigua eſt ac veri interni.

DXXV. Anevrysma varicosvm *eſt* venae ob praeternaturalem cum adiacente arteria communionem varicoſa expanſio: *oritur* nempe, quando tali vena imprudenter pertuſa inſtrumentum per hanc in arteriam impingit omnesque eius tunicas diuidit, vnde ſanato externo vulnere internum remanet ſanguinemque arterioſum in venam transmittit. *Cognoſcitur* tumore varicoſo, imprimis baſilicae, ad locum in quo venae ſectio fuit inſtituta, maximo, tremulo, ſub premente digito ſtrepitum edente et euaneſcente, ligatura ſupra tumorem iniecta increſcente, neque tamen illa infra eumdem adplicata decreſcente, ipſa denique arteria in brachio expanſa, verſus carpum anguſta.

DXXVI. Anevrysmatvm *prognoſis* in vniuerſum pro diuerſa morbi ſpecie, ſede, extenſione, duratione variat. *Internum* qualecumque omnem curam radicalem excludens, certam

mor-

mortem adfert, quamquam varia auxilia palliatiua religiose adhibita vitam ad tempus protrahere possint. *Varicosum* sine notabili damno per multos annos tolerari posse obseruatione compertum est. *Veri* autem *spurii*, et *mixti* periculum pro diuerso tumoris volumine et sede differt. Paruum nempe, in loco, qui aptam fasciationem continentem admittit, situm riteque tractatum vitae quidem non nocet; diu autem prouida continuanda est cura, siquidem non raro post multos annos elapsos neglectum malum periculum inducere potest. Maioris voluminis Aneurysma, siue verum siue spurium mixtumue summum vitae discrimen secum vehit, nonnisi operatione chirurgica auertendum. Spurium *nasciturum* tempestiua arteriae laesae compressione praeuertitur.

DXXVII. Mali *curationem* quod attinet, Aneurysmati *spurio non limitato* ea, quam (LXXX) diximus, methodo medendum est. Glaciem impositam, vbi sanguis diffusus erat, profuisse legimus. *Limitato* autem, non secus ac *vero*, si paruum fuerit, non modo palliatiua, verum etiam radicalis medela paratur congrua et satis

diu

diu continuata arteriae laeſae compreſſione, aut inſtrumentorum huic ſcopo adaptatorum, aut faſciae circularis totum membrum inuoluentis adminiculo praeſtanda. Maius e contra, ſiue verum, ſiue ſpurium, ſiue mixtum fuerit, compreſſione haud coercendum, operationem poſtulat. Aneurysma verum internum venaeſectionibus repetitis, ſcrupuloſiſſima quiete, cautiſſimo mentis corporisque regimine palliatur, quibus praeſidiis neglectis in ſpurium citiſſime lethale tranſit.

DXXVIII. Anevrysma *operationi* ſubiiciens Chirurgus primum curet vt nulla haemorrhagia durante illa oriatur, deinde arteriam laeſam denudet eiusque immediatam compreſſionem vel ligaturam inſtituat, et vulneris denique conſolidationem adiuuet. *Haemorrhagiae* periculum congrua arteriae compreſſione ſupra laeſionem aut ſolis digitis aut torcularis ope locis modoque (cdlxxix) dictis inſtituenda certe auertitur. Arteria laeſa *denudatur* larga integumentorum ad illius tractum inciſione lentaque et cauta partium ſubiacentium diuiſione, cultri chirurgici ſpecillo ſulcato ducti miniſterio peragenda, vs-

que dum vulnus vel dilatatio arteriae diſtincte adpareat. Ad detegendum arteriae tibialis anticae aneurysma ſerrula partem oſſis cum ſucceſſu ablatam fuiſſe legimus. Paruum arteriae vulnus denudatione facta coaguloque ablato, *compreſſione*, fruſtulo fungi quercini adplicato praeſtita debitaque faſciatione et totius membri inuolutione adiuta, radicaliter ſanari poſſe experientia docuit. Maior autem arteriae hiatus aeque ac Aneurysma verum *ligaturam* poſcit, ſupra ſaepe et infra locum adfectum iniiciendam totumque vulnus vel tumorem includentem: licet vnicam ligaturam haud raro ſuffeciſſe conſtat. Ipſa autem ligatio filo chirurgico, acus curuatae paruae altero extremo obtuſae ope, muſculis adiacentibus laxatis infra arteriam ducto ad artem inſtituitur. Neruum adiacentem, quamuis eum ſaepe ligatura impune comprehendi poſſe compertum ſit, liberum relinquere praeſtat, praeſertim quum membri inflexione atque agitatione ſatis facile et absque dolore ab arteria ſeparari queat. Circulus ſanguinis arteria ligata per ramos collaterales ſuccedit. Ligata ad flexuram cubiti arteria brachiali ramos anaſtomoticos maiusculos

tam

tam radiales quam cubitales ad ſuſtinendam ſanguinis transmiſſionem ſufficientes nusquam deeſſe, hinc vanum eſſe mortificationis metum, et notitia anatomica et experientia chirurgica conſtat. Eam denique, quam nuper commendatam vidimus, arteriam claudendi rationem, hiatum in ipſo canale ſuturae circumflexae ope reunire, in minore arteriae laeſione ſuperfluam, in maiore minus tutam eſſe putamus. Facta ligatura vel compreſſione vulneris *conſolidatio* promouetur leni deligatione, quiete atque therapia rationi vulneris adaptata.

Vulnus venae.

DXXIX. Vvlnvs venae *eſt* canalis venoſi ex qualicumque cauſſa mechanica diſſolutio. Duplex eſt eius *differentia:* vel cutis partiumque interpoſitarum vulneri directe reſpondet vel minus, vel denique integris tegumentis externis accidere poteſt. Deinde vel perfecte vel ex parte tantum diuiſa eſt vena.

DXXX. Plagae externae directe reſpondens *cognoſcitur* ex ſanguinis minus purpurei lentiusque coagulabilis absque ſaltu pulſui ſyn-

chrono, nisi maiori arteriae valde vicina sit vena, profluuio, tanto quidem vehementiore, quanto maior est diameter venae laesae. Vulnus venae oblique inflictum vel absque cutis dissolutione factum, Ecchymosin (LXXIV) creat, minus tamen vehementem quam arteriae laesio. Quodsi maioris diametri fuerit vena vulnerata magnam et lethalem sanguinis iacturam inducere potest: minoris venae haemorrhagia aut sponte Naturae viribus vel arte facili negotio sedatur, vel syncope inducta subsistit.

DXXXI. VVLNERVM venarum *prognosis* in vniuersum longe minus ambigua est quam arteriarum, quum vena diuisa decuplo fere minorem sanguinis copiam fundat, quam eiusdem diametri arteria, quum illa denique ob crebriores anastomoses longe facilius comprimi queat, citiusque ob minorem retrotractionem fibrarum elasticam coalescat. Potest tamen venae vulnus mortem inferre, si tanta inde oriatur sanguinis interceptio aut reuulsio vt ille encephalo atque cordi deficiat.

DXXXII.

DXXXII. Pavca circa *curationem* ſunt monenda. Haemorrhagia tempeſtiua compreſſione vel adſtringentium adplicatione plerumque facile ſupprimitur; ſin minus, ad methodum (dxix) expoſitam recurrendum eſt. Ecchymoſeos leuioris, grauioris medelam (lxxvi) diximus. Quodſi vero ex profundiore vena orta, ſymptomatum ambiguitate Aneuryſma mentita fuerit, tamquam tale tractanda foret; vulnere vaſis detecto et torculare ſoluto vera morbi natura medendique ratio patet.

Vulnus Nerui.

DXXXIII. Nervi vulnus quid *ſit* per ſe iam patet: vel totus autem vel ex parte tantummodo ille diuiditur.

DXXXIV. Nervus *totus* abſciſſus poſt dolorem acutum fugacem tunicarum elatere retrahitur, vnde neruulos vicinos tenſionem pati neceſſe eſt, quo ſtimulo dolor ac inflammatio inſurgunt, ipſe neruus abſciſſus perit, partibus ad quas diſtributus erat torpore, inſenſilitate, immobilitate, marcore, quinimo necroſi correptis, niſi aliunde vis vitalis accedat, unde rariſ-

ſime iſta corruptio extremorum, ſaepius medullae ſpinalis vulnerationibus ſuperuenit. *Partialis* autem nerui laeſio, quo maxime puncturae pertinent, fibrillarum diuiſarum retrotractionem parit: hinc fibrae integrae fortius tenduntur, dolor grauiſſimus cum immani partis tumore ac rubore late diffuſo excitatur, ſtimulus cum neruis vicinis cerebroque demum et corde communicatur, quo febris intenſa, deliria, ſpasmi vel conuulſiones ac denique mors induci posſunt: aut tumor inflammatus rumpitur cum euacuatione humoris acris tenuis, copioſiſſimi, ſubſequente ſaepe paralyſi, atrophia, gangraena aut morte. Vnde patet ſymptomata imperfectam nerui diſſolutionem concomitantia forſan ob humorum in nerui capſulam effuſorum inſuetum cum fibrillis nudis contactum in vniuerſum multo grauiora eſſe

DXXXV. SYMPTOMATA ex nerui laeſione oriunda ſaepe *auertuntur* vel mitigantur tempeſtiua balſami Peruuiani vel olei terebinthinacei in vulnus inſtillatione atque fotu emollienti oleoſo tepido, ad totum membrum adplicato, methodo anthiphlogiſtica adiuto. Non raro autem vulne-

vulneris exiguitas ſymptomatumque grauitas haud differendam congruam illius dilatationem requirit, quo humores effuſi educantur, neruusque laeſus, tenſus, irritatus, plane diuidatur. Diriſſimis ſymptomatibus perſiſtentibus miſerum interdum in ſola membri amputatione haeret refugium. Ceterum neruorum laeſionis medela curationem doloris (CLXVIII - XXIV) expoſitam ſequitur.

Vulnus vaſis lymphatici.

DXXXVI. Vas lymphaticum quoddam maiusculum eſſe diuiſum *cognoſcitur* e diuturno ſtillicidio lymphatico coalitionem ſoluti impediente. Poteſt etiam in hac laeſione occurrere *diuerſitas:* totalis nempe vel partialis vulneratio. Quae totali vaſis lymphatici abſciſſioni paratur, *medicina* in compreſſione ſimpliciſſima et deligatione ſicca vel, niſi haec ſuffecerint, adplicatione medicamenti ſtyptici, ſpirituoſi, ſaturnini conſiſtit: partialis diſſolutio huic therapiae non cedens, cauſtica vel tutius inciſionem totalemque vaſis abſciſſionem poſcit.

Carnis vulnus.

DXXXVII. Fibram muſcularem a cauſſa qualicumque mechanica diuiſam elater inſitus verſus punctum fixum retrahit, vnde nerui fibraeque adfines tenduntur, extremis ſimul ob vaſculorum ſanguiferorum laeſionem cruentatis motuque fibrae retractae ceſſante. Quae laeſio nullam aliam *Chirurgiam* deſiderat, quam carnis ſolutae reunionem, extremorum nempe adductionem ſitu faſciisque firmandam.

Tendinis vulnus.

DXXXVIII. Tendinis ſolutio mechanica *triplex* eſſe poteſt: vel enim totus transſcinditur, vel ex parte tantum inciditur, vel tenſione violenta disrumpitur.

DXXXIX. Laesae autem fibrae tendineae ad gradum fibrarum muſcularium cum illis nexarum retrahuntur, qua retractione fibrae integrae tenduntur. Tendinis diuiſionem in ſtatu ſano absque dolore vel alio graui ſumptomate fieri conſtat. Quodſi vero inflammatio aut diuturna tenſio vel irritatio tendinem aponeuroſinue adficiat, non dolor ſolum crudelis, verum

rum omnia alia quoque ſymptomata grauiſſima nerui laeſionem (DXXXIII) ſequentia inducuntur. Paruum denique tendinis aponeuroſeosue vulnus ſeu partialis diſſolutio, ob difficultatem euacuationis atque ſtimulum humoris effuſi in vniuerſum ſymptomata longe grauiora infert, quam maius harum partium vulnus aut tendinis abſciſſio.

DXL. In *curatione* tendinis diſſoluti duplex datur momentum: partes diuiſae reuniendae, ſymptomata leuanda. *Reunionem* diuiſi efficit extremorum retractorum adductio inque mutuo contactu retentio; poſteriorem ſolo ſitu debita defaſciatione adiuto ſine ſuturae cuiusdam ope obtineri poſſe, inter multa alia praeclarum tendinis Achillei rupti toties absque crudeli acus miniſterio conglutinati exemplum euicit. Extrema autem adproximata materiem fundunt in principio fluidam, deinde ſolideſcentem, quae denique in maſſam firmam organicam ſubſtantiae tendinis ſimilem abit, extrema vicina firmiter nectentem, vt debita facilitate ille iterum moueri queat et nil niſi leue annulare veſtigium praegreſſae diuiſionis remaneat.

Vulnera tendinum balſamicorum vſum requirunt: rancida autem vnguenta non ſecus ac aëris acceſſus probe ſunt vitanda, ſiquidem ſucceſſiua partis denudatae et corruptae exfoliatio, ſi totum tendinis ambitum comprehendat, tantum facit hiatum, vt extremorum reunio impoſſibilis euadat motusque membri quatenus eo tendine famulante eget, pereat. Grauia ex partiali tendinis vel aponeuroſeos vulnere ſeu punctura prouenientia ſymptomata frigidae in principio morbi ſedulam adplicationem, vel vulneris dilatationem, tendinis abſciſſionem atque therapiam requirunt omnibus viribus inflammationi occurrentem Rigiditas poſt tendinearum partium conſolidationem remanens balneis tepidis emollientibus, fotu aquoſo, ſaponaceo, oleoſo, frictione modica et leui partis rigidae motu adiutis tollitur.

Vulnus ligamenti.

DXLI. Vvlnera articulorum ligamenta vel absque capſulae laeſione diuidentia vel articuli cauum aperientia partium tendinearum ac neruoſorum conditionem et therapiam ſequuntur. Quae vero ortum exinde trahunt, ſuppuratio-

nes

nes maiores, caries, anchyloſes, fungi articulares, contracturae ad horum morborum methodum tractari debent.

Vulnus oſſis.

DXLII. Os ictu, inciſione dedolatione portionis alicuius vulneratum, niſi ob contuſionis vicinarumque partium laeſionis grauitatem mox obtegi, acceſſus aeris arceri reunioque cum partibus mollibus ad primam, vt dicunt, indicationem obtineri queat, cariei indolem atque curationem exponendam ſequitur.

Vulnera puncta.

DXLIII. Pvnctvra *eſt* ſolutio continui inſtrumento pungente tenui inducta, in qua diſſolutione ob exiguitatem vulneris nec notabilis hiatus nec ſanguifluxus ſaepe adeſſe ſolet. *Prognoſis* puncturarum pro partium varia ratione ac indole quidem varia, in vniuerſum tamen vulnere ſimplici difficilior, ac haud raro ob retenta fluida effuſa dolorem, inflammationem, abſceſſum parit, quae ſymptomata pro magna parte tempeſtiua ac ſedula ſanguinis e loco recenter puncto expreſſione, ſuctione, et ſi profundior fuerit

fuerit punctio, dilatatione tempestiua auertuntur, aculei aliaue corpora aliena extrahuntur, abscessus exortus inciditur, neruorum tendinumue punctiones harum partium laesionem partialem sequuntur.

Contusiones.

DXLIV. Contvsio in genere *est* violenta corporis obtusi in superficiem humani actio, qua vel cum vulnere externo, vel secus, partes organicae tali modo premuntur, vexantur, lacerantur, vt mox subsequatur tumor dolens, mollis, ambitum praegressae violentiae comprehendens. Hinc triplex contusionis *gradus* elucescit. In priore vasa ipso violentiae praegressae stimulo dilatata et relaxata maiorem liquidi quantitatem admittunt expansionemque praeternaturalem subeunt. In secundo sanguis per vasa dilatata minori quidem copia in cellulosam telam transsudat, integris tamen huius laminulis. In tertio denique vasa et cellularum septa dissoluuntur, sanguis copiosius effusus maius cauum replet, mora ibidem coagulatus, deinde putrescens, simul praesente non raro partium vicinarum laesione. Ceterum contusio vel superficialis

ficialis eſt vel profunda: vel ſimplex vel complicata, vel cum vel ſine vulnere.

DXLV. Contvsionis *ſigna* aut adſpectu cognoſcuntur, ſicubi poſt praeuiam violentiam qualicumque tumor cito ſubnaſcitur, dolens rubens aut nigricans, aut tactu indagantur, mollitie, fluctuatione, inaequabilitate praeternaturali digiti pulpae obuia.

DXLVI. Varii autem contuſionem comitantur aut ſequuntur *ſymptomata*, dolor, inflammatio, ſugillatio, ecchymoſis, ſuppuratio, variique *morbi* pro diuerſa partis contuſae fabrica et functione: ſic contuſio arteriarum, aneurysmata; venarum, varices, neruorum, dolores acerrimos, paralyſin, atrophiam, ſpasmos, conuulſiones, gangraenam, necroſin; muſculorum aut tendinum, eorum rupturam, rigiditatem et alios adfectus neruoſos; glandularum, infarctus, ſcirrhos, carcinomata: perioſtei, ulcera profunda, caries, exoſtoſes, tophos, ſpinas ventoſas, fracturas, luxationes; viſcerum denique, eorum rupturam atque citam mortem, inducere poteſt. Vnde prono fluit impetu, *prognoſin* contuſionis pendere

dere a gradu violentiae ac conditione partis laesae. Laetum resolutionis signum affulget, vbi color loci contusi sub symptomatum leuamine in flauum viridemue transit.

DXLVII. Contvsionis *curatio* praecipue versatur in phlogoseos atque sanguinis effusi resolutione vel, nisi haec mature succedat, eductione. Inflammationi auxiliis toties dictis occurritur. Effusio sanguinis post leuiorem contusionem auertitur prudenti atque cita compressione et adplicatione epithematis frigidi, repercutientis, acidi, spirituosi, quo scopo aqua marina acetto nupta adprime vtilis est. Quum vero maiorem sanguinis effusi copiam adiuuantibus viribus Naturae resorberi inque circulum reduci posse experientia constet, salutaris haecce resolutio remediis discutientibus efficacissimis, inter quae alcalina volatilia principem sibi vindicant locum, promouenda est. Quodsi vero paucis diebus elapsis nullum adparuerit resolutionis signum, ad emollientia, et si fluctuet tumor, ob metuendam humoris effusi corrosionem ad tempestiuam incisionem refugiendum est.

DXLVIII. Qvae vero ab instrumento contundente facta sunt *vulnera* strictius sic dicta, in vniuersum quidem, nisi breui exsiccationem et phlogoseos resolutionem admittant, methodum emollientem exigunt, quo celerius in suppurationem transeat inflammatio, vulnere deinde ad methodum infra propositam tractando.

DXLIX. Singvlarem considerationem merentur contusiones a *globis*, quos machina pyria euomuit, vel transitu vel contactu immediato factae. Quippe globum maiorem ex tormento bellico proiectum, a latere partis eminus maxima cum velocitate progredientem non solum conquassationes grauissimas, ecchymoses, stuporem maximum, rupturas musculorum, vasorum, neruorum, ligamentorum, fracturas atque comminutiones ossium, sed pro nobilitate partis laesae quoque subitam mortem inferre posse frequens obseruatio docuit. Quod electricae aëris concussioni adscribendum esse videtur. Quodsi globus aliudue corpus e sclopeto aut tormento bellico emissum minuta violentia et celeritate ad ipsam partem mouetur, eumdem fere effectum absque cutis laesione producere

solet.

ſolet. Harum contuſionum *prognoſis* in vniuerſum quidem ex conditione partis laeſae pendet, aliis tamen contuſionibus multo grauiores merito cenſentur, quum maior interna diſſolutio, neruorum labes, ſtupor aut membri adfecti aut totius corporis, ingens inflammatio citaque gangraena cum maximo vitae discrimine ſaepisſime inſequatur. *Curatio* harum laeſionum generalem contuſionum medelam ſequitur; prouidiſſima tamen attentio habenda eſt, num ad adſpectum leuem contuſionem maior diſſolutio interna comitetur, ne tempeſtiua inciſio differatur.

Vulnera ſclopetaria.

DL. VVLNERVM globis aliisue corporibus e ſclopeto proiectis inque corpus humanum actis factorum praecipua *differentia* poſita eſt in diuerſa eorum penetratione: alia enim coeca ſunt, alia exitum ſimul habent, in quibus nempe globus penitus per partem transadactus eſt. *Cognoſcitur* introitus globi vulnere anguſtiore magisque colliſo, exitus vero longe largiore apertura.

DLI.

DLI. Vvlnera haec aliis grauiora vtplurimum redduntur corporibus alienis, eſchara, haemorrhagia ſaepe ſubſequente atque ſymptomatibus pro partium laeſarum ratione ex earum dilaceratione neruorumque commotione oriundis.

DLII. Vnde *curatio* potiſſimum verſatur in ſimilibus concomitantibus (dli) remouendis. Corpora aliena, globi, veſtimenta, feſtucae oſſeae aliaque exploratione detecta aut ſymptomatibus indicata, congrua dilatatione aut, ſi profundus fuerit tractus, inciſione oppoſita facta, forcipis miniſterio extrahuntur. Quum vulnera ſclopetaria, ob criſpationem vaſorum laceratorum, niſi maior ramus fuerit laeſus, vel nullum vel paucum ſanguinem fundant, ſalutare in primo vulneris ſtadio modicum huius profluuium tempeſtiua ac prudenti plagae dilatatione ad notitiam anatomicam atque rationem vulneris inſtituenda reſtituitur, qua et inſequens inflammatio et tenſio vulneris minuitur, haemorrhagia metuenda praepeditur et ſuppuratio ſimul promouetur. Haemorrhagia grauis eſcharae ſolutione vel orgasmo febrili aucta, vel corporis, mem-

bri saltem adfecti, motu vel accedente suppuratione superueniens ad methodum toties propositam cohibetur. Reliqua autem horum vulnerum symptomata ex conquassatione et dilaceratione harum partium oriunda auertuntur aut minuuntur, inflammationi omnibus viribus occurrendo, vulnus tempestiue dilatando atque suppurationem promouendo.

Vulnera venenata.

DLIII. Vvlnera porro complicata redduntur virulentia quadam, vel ante laesionem mechanicam in corpore existente, vel vulneri forinsecus inducta atque humoribus admixta. Vnde praecipua elucescit venenatorum vulnerum differentia.

DLIV. Commvnissima autem miasmata virulenta in corpore *praeexistentia* sunt venereum, racchiticum, scrophulosum et scorbuticum: haec non solum vulneris consolidationem impedire, sed in vlcus quoque sordidum, rodens et complicatum mutare valent. Neque immerito huc trahi posset hydropica corporis vel etiam partis laesae labes, utpote vulneri gangraenam facile indu-

inducens. Cui vitio non ſecus ac illis virulentiis ſua opponenda ſunt antidota.

DLV. Virvs cum vulnere *externo* communicabile multiplex eſt: inter reliqua autem nobis tantum dicendum venit viperinum et hydrophobicum, ſubiunctis pauculis de veneno minerali et vegetabili.

DLVI. Colvber verus ſeu *Vipera*, animal veneno praeditum, quippe quod in ore gerit aculeos oſſeos, plicatiles, cauos, quorum baſis premit totidem folliculos ſucco venenato turgidos, vulneri, quod iratum mordendo inducit, liquidum iſtud infundit, vnde tumor inſignis dolorque grauis e vulnere cito proſerpens, deinde horror, extremorum frigus, color icteritius, anxietas praecordiorum, vomitus, animi deliquium, ſudores frigidi, ſopor, conuulſiones et denique mors. Antidotum huius veneni, experientia comprobatum, eſt ſal alcalinus volatilis ſub forma vel ſalis vel fluoris adplicatus; neque paruam laudem tribuunt olei oliuarum vſui tam interno quam externo.

DLVII. Animalis rabidi aut ſumme irati aut *hydrophobici* ſaliua morſui, vulneri, excoriationi, cuti integrae admota, vulnus quidem, ſi qua adeſt, adeo parum mutat, vt hoc per longum tempus ſimplicis purique ſpeciem praeſeferat humoribus admiſta vero diu latitare horrendamque ſuam indolem denique manifeſtare ſolet. Symptomatum huius miasmatis euolutionem inſequentium praecipuum eſt Hydrophobia ſeu aquae pauor, ſub anxietate ſumma, ſputatione frequenti et mordendi ſaepe cupidine certam mortem inferens, niſi tempeſtiua inunctione mercuriali, vtpote ſolo probato antidoto, debitaque laeſionis externae tractatione virus exſtinguatur. Quippe lauatione, cucurbitulis tum ſiccis tum cruentis, vſtione, totius circumferentiae exſciſſione, praemiſſis, vulnus ſuppurantium cantharidibus remixtorum ope in vlcus large diuque fluens mutatur.

DLVIII. Vnde (dlv) intelligitur quomodo venenum minerale vel animale, vulneri nuper admiſſum elui et exſtingui debeat.

Aliae

Aliae complicationes.

DLIX. Vvlneris in vlcus mutati, aut fractura, luxatione cet. complicati, aut in cauitatem maiorem penetrantis tractatio aliis locis proponetur.

CAPVT II.

VVLNERA IN SPECIE.

DLX.

Vvlnera in specie pertractaturi diuisionem a diuersa eorum sede petimus: sic primum *caluariae*, deinde *faciei* et *colli*, *thoracis* denique et *abdominis* laesiones veniunt considerandae.

Laesiones caluariae.

DLXI. Ad laesiones caluariae *referimus* omnem violentiam externam partibus cranium extus obtegentibus vel thecae osseae, vel membranae hanc inuestienti, vel alteri cerebrum cerebellumque includenti, vel ipsi huic visceri illatam, siue veram continui solutionem, siue vehementem

modo encephali concussionem induxerit. Diuersas has laesiones sigillatim nunc exponemus. Verum enimuero monendum est, singularum characteres non raro deficere, saepius autem mixtos esse atque ambiguos, quia non cuiuis parti datum est perpetua et specifica suae laesionis signa edere, neque vna facile iniuriam patiatur, quin simul aliae laedantur, neque quamlibet laesionem presso pede sequantur symptomata. Hinc omne caluariae vulnus in diagnosi attentissimum, in prognosi cautissimum, inque therapia prouidissimum desiderat Chirurgum.

Externorum cranii tegumentorum laesiones.

DLXII. Partes molles cranium obtegentes incisionem puncturam, contusionem, tensionem pati possunt. *Incisio* simplex abrasis capillis tamquam vulnus simplex (dxvi) est tractanda, minime tamen parui facienda; in capitis enim laesionibus nusquam tuta fides: tristissimi latentis et neglectae complicationis effectus post plures dies, quinimo hebdomades, adparere possunt. *Contusa* autem vulnera, *puncturae* et *distensiones*

vio-

violentae pro vario, quod occupant, inuolucro, varia adferunt ſymptomata. Sic galea tendinea tali modo adfecta dolorem tenſiuum, tumorem eryſipelatoden, ad muſculi epicranii extenſionem protractum communibusque ſymptomatibus inflammatoriis ſtipatum ſecum vehit: grauiora tamen ſunt iſta, ſi obliqua ſeu transuerſa fuerit laeſio. Quodſi autem in celluloſum textum accumulatus fuerit ſanguis tumorem interdum creat limitatum, qui inter duriuſculos margines digito prementi cedens, inexpertis aut incautis imponere proque oſſe impreſſo haberi poteſt. At vero quicumque paulo accuratius examinat illos margines, vt pote ſupra cranii ſuperficiem prominentes, attactus non adeo patientes cet. ſimul perpenſis aliis ſymptomatibus, vix falſa hac ſuſpicione duci poterit, quae mox ſubſeqente duri emollitione ſponte euaneſcit. Pericranii vero iniuria, eodem modo illata dolorem, tumorem inflammatorium circumſcriptum, ipſius membranae de cranio ſeceſſum, oſſis ſubiacentis alterationem, duraeque matris illi correſpondentis ſeparationem, phlogoſin, ſuppurationem, febrem denique acutiſſimam omniaque

ipſius cerebri laeſionem paſſi ſymptomata adferre poteſt. Neque tamen diſſimulandum eſt, minime conſtantem eſſe horum ſignorum concurſum, quum non ſolum vulnera caeſa, verum etiam contuſiones et punꝭturae epicranio pericranioque interdum infligantur et ſanentur absque vllius grauioris ſymptomatis acceſſu. Ceterum communis harum contuſionum et punꝭturarum therapia conſiſtit potiſſimum in auxiliis antiphlogiſticis (CCI. CCV) frigida haud omiſſa, et tempeſtiua congruaque inciſione, pro varia violentiae illatae ſede et indole, vulneris figura, partium laeſarum dignitate, cicatricis denique ſucceſſurae ratione variae direꝭtionis et profunditatis, qua tenſio tollatur, effuſum euacuetur, ipſiusque cranii laeſio auertatur. Deligatione deinde leniore haud irritante, quo ſcopo vinum gallicum melli commixtum vtiliter adhibetur, curatio abſoluitur.

Cranii laeſiones.

DLXIII. Cranivm violentia externa laeſum denudationem, contuſionem eiusque ſequelas, inciſionem, fiſſuram, fraꝭturam denique ac impreſſionem oſſis cuiusdam vel plurium pati poteſt.

test. Quae laesiones nullis nisi sensualibus signis in loco adfecto potissimum obuiis, cum certitudine dignoscuntur: ex sola enim pyxidis osseae dissolutione maxillam inhabilem fieri ad mordendum, ad fabulas dudum fuit relatum. Symptomata autem harum laesionum per se quidem leuia sunt; saepissime tamen aliqua partium contentarum iniuria simul adest vel ob humorum effusionem superuenit.

DLXIV. MECHANICA cranii *denudatio* inter simplicissimas eius laesiones referenda, saepe absque incommodo sanatur: vbi vero ab aëre vel pure contaminatur superficies, cariosa fit et lenta exfoliatione separatur. Vt absque corruptione et secessu obtegatur os denudatum vulnusque sanetur, nisi suspicio laesionis internae obstet, tegumenta ab osse soluta ipsi citissime admoueantur, admotaque sub rara deligatione, neque aëris accessum admittente, in situ retineantur ad perfectam vsque consolidationem. Rarius labia vulneris ossi firmiter adhaerentia centro partis denudatae lente et absque sensibili exfoliatione sese approximant; rarissime autem os, cum vulneris margine non cohaerens neque co-

lore ſuo natiuo gaudens absque exfoliatione iterum obducitur, aut haec leni oſſis perforatione auertitur. Laminae carioſae ſeparatio promouetur radendo et perforando eius ſuperficiem: interdum quoque margine cutis ablato pars, oſſeo repagulo iam orbata, facilius ſoluitur. Deligatio vero inſtituatur qualis in carie conuenit. Quod ſi per totam ſuam craſſitium corruptum fuerit os, terebratione auferenda eſt pars ſic adfecta.

DLXV. Maioris momenti eſt cranii *contuſio.* Huius ſigna ſolutis integumentis viſui tactuue ſeſe offerunt: integra cute tumor mollis, oedematoſus, fluctuans latentem laeſionem prodit, quo inciſo pericranium ab oſſe ſeparatum adparet. Saepiſſime partes ſubiacentes ſimul ſunt adfectae. Anſam autem cranii contuſio praebet inflammationi, ſuppurationi, tabulae externae vel internae ipſiusue diploës cariei, durae matris ſeceſſioni, eroſioni, excreſcentiae fungoſae (CCCLXXXIX), cephalaeae, multisue aliis malis. Curatio conſiſtit in tempeſtiua et congrua oſſis denudatione, ſanguinis miſſione enacuante, deriuante, reuellente, libera manu adminiſtranda, lenique at repetita alui ſubductione

ne; interdum quoque ipſius oſſis perforatio trepano inſtituenda requiritur. Quibus addenda ſunt communia phlogoſeos, et ſi caries deinde ſucceſſerit, huius remedia. Neque hic omittenda ſunt epithemata frigida, praeſtantiſſimum ſane capitis violentia externa laeſi congeſtoque ſanguine oppreſſi praeſidium, cui perperam maiorem ſanguinis in arteriam carotidem internam tranſitum tribuunt nonnulli, experimentorum contrariorum et eximii, quod apoplecticis admota capiti frigida adfert, leuaminis immemores. Calida ſaltem adplicata, propter affluxum humorum exinde prouocatum, vehemens noxae ſuſpicio premit: reliquorum remediorum efficaciam haec certe infringunt.

DLXVI. Cranii *inciſio* aut totalis aut partialis variae directionis, aut portionis ablatio ſeu *dedolatio*, nonniſi viſu tactuque cognoſcenda, therapiam denudati ac contuſi oſſis ſequitur.

DLXVII. Qvae per ſe ſpectata ſimpliciſſimam in cranio continui ſolutionem ſiſtit, ſpecie tamen diuerſiſſima eſt *fiſſura*. Haec enim vel maior eſt, vel minor vixque ſenſibilis. Alia ſim-

simplex est, alia composita, angularis, bifurcata, stellata cet. Modo os in eodem, qui violentiam sustinuit, loco, modo in parte intacta finditur. Potest fissura in osse percusso consistere, potest in remotiora perrecta via excurrere, potest denique os violentiam passo vicinum vel oppositum rimam contrahere, quod *contrafissuram* vocant. Deinde vel tota ossis substantia vel sola externa internaue tabula finditur. Partium denique continentium et contentarum laesio vel simul adest vel secus. De propria fissurae diagnosi eadem valent quae de contuso cranio diximus. Prognosis illius semper maxime ambigua est, quum dira encephali laesi symptomata, in iunioribus praecipue, summum vitae periculum adferant. Tanto minorem sanationis spem superesse, quanto magis in longinquum excurrit vel indagationem effugit fissura, sua sponte patet. Curatio fissurae quidem Naturae viribus interdum absoluitur: verumtamen therapiam contusi cranii prouidissimam semper requirit, et si partes contentae aliquomodo adfectae fuerint, cita trepanatio ad latus fissurae instituenda est.

DLXVIII.

DLXVIII. Ossivm cranii *fractura* a fiſſura ſolummodo maiori diſſolutionis gradu diſcrepat: ceterum communes fere cum illa habet differentias (dlxiv), quibus varias alias ſubdiuiſiones ingenioſas magis quam vtiles, addiderunt auctores. Maioris momenti diſcrimen adeſt, ſi fractura cum vnius alteriusue partis in cauum cranii depreſſione, vel cum totali portionis ſolutione, acciderit. Quoad diagnoſin videantur, quae circa contuſionem, quoad prognoſin, quae circa fiſſuram cranii monuimus. Pro vario fragmentorum et feſtucarum numero, ambitu, ſitu et effectu variare periculum fracturamque notabilius hiantem ob faciliorem effuſi euacuationem ſaepe minus ominoſam eſſe quam anguſtiorem conſtat. Ad *curationem* quod ſpectat, fractura cum fragmenti depreſſione ante ſymptomatum acceſſum promtam et, donec fragmentum vel ablatum vel releuatum fuerit, repetitam oſſis perforationem deſiderat. Cranio infantum absque fractura depreſſo ſolam Naturam medicatricem lente et tuto interdum mederi, experientia compertum eſt: neque tamen in vnoquoque caſu eius vires ſufficere remanens non raro ſen-

ſus

ſus alicuius labes vel ſtupiditas docet. Fractura cum totali fragmenti ſolutione huius extractionem poſtulat, quo facto trepanatio ſaepe minus neceſſaria euadit.

Menyngum laeſiones.

DLXIX. Violentia externa diuerſimode adfici poſſunt menynges. Communiſſima autem *durae* matris laeſio haec eſt, quod vaſculis connectentibus disruptis, ſiue correſpondentis pericranii ſiue oſſis interpoſiti ſolutio id effecerit, a cranio recedit, nullam deinde copulam initura. Fragmento oſſis male ſito vel ſanguine effuſo nonnumquam premitur et diſtenditur, vel feſtucae pungentis ſtimulo irritatur. Neque infrequenter in ipſam deſcendit inſtrumentum caedens, pungens, dilacerans, contundens, globusque ſclopetarius. Raro quidem dedolatione, ſaepe autem ablato fragmento oſſeo denudatur. Verum enimuero nullam iniuriam patitur inulta: quocumque demum modo laeſa vel inflammatur, benignam reſolutionem vix, et ſi denudata vel diſſoluta fuerit, ne vix quidem admittens, ſed in ſuppurationem gangraenamue pronisſima: vel etiam nulla phlogoſi praegreſſa corruptio-

ruptionem ſubit, quod ſollemnis eſt aëris externi effectus. Neque oſſis cuiusdam ſubſtantiam penetrat caries, neque apoſtema cerebri ſuperficiem depaſcit, quin illa quoque membrana inficiatur. Cognoſcitur autem atque diiudicatur durae matris laeſio ex cauſſa praegreſſa, oſſis ſolutione vel alteratione, vulneris externi ratione, ſignis inflammationis, ſuppurationis, corruptionis generalibus, vel encephalo adfecto propriis, inſomniis, deliriis, dolore fixo, oculis rubentibus, lente demum accedente functionum cerebri laeſione, interdum quoque tumore externo, circumſcripto, oedematoſo, pericraniique ſeparatione. Pulſum celerem, paruum, duriorem, duram matrem laeſam denotare legimus. At non diſſimulandum eſt, durae piaeue menyngum adfectionem qualemcumque, etiam notabiliorem, ob vtriusuis inuolucri tenuitatem et arctiſſimam, quae ipſis inuicem atque cerebro intercedit, contiguitatem vaſorumque communionem, vix vmquam adeſſe poſſe ſimplicem et ſingularem, verum hic maxime illas occurrere complicationes ſignorumque ambiguitates, de quibus iam (DXXXX) diximus. Praeter generalem

lem harum laesionum therapiam tempestiuae quoque terebrationis necessitas hic vrget, nisi fracto forte cranio aditus pateat: irritatam enim, distensam, inflammatam, suppuratam, corruptam duram membranam Naturae soli relinquere, vel per intermedium os remediorum virtutem transmittere, perque ambages medicinam parare, damnosa foret prudentia.

DLXX. Qvae de dura matre proposuimus, de *pia* quoque intelligenda esse vi analogiae patet. Quippe in diagnosi, in prognosi inque therapia parum a se inuicem abludere membranas vicinia atque affinitate coniunctissimas prono fluit alueo. Tetanum quidem pro speciali laesae piae menyngis signo haberi nouimus, neque tamen satis consentiente experientia.

Cerebri et cerebelli laesiones.

DLXXI. Cerebrvm et cerebellum a violentia externa vel commotionem, vel compressionem, vel irritationem, vel vulnerationem aliamue laesionem mechanicam, horumque sequelas pati potest. Quae iam sigillatim perlustrabimur.

DLXXII.

DLXXII. Cerebri commotio ſtricte quidem ſpectata non pertinet ad continui ſolutiones: quum vero perinde ac reliquae encephali laeſiones hic perluſtrandae a violentia externa ortum trahat, haud incommode cum iisdem exponitur. Naſcitur autem ex thecae oſſeae concuſſione, ſiue haec ipſa ictum exceperit, vel in corpus durum, ſub lapſu praecipue, impegerit, ſiue columna vertebralis ſimilem percuſſionem in illam transmiſerit, ſiue denique caput violentam rotationem paſſum fuerit. Leuior cerebri concuſſio eodem, quo accidit, momento breuem parit vertiginem; grauior vero animi deliquium, pulſum plenum, lentum, apoplectici ſimilem, ſenſus motusque voluntarii abolitionem, vomitum, ſanguinis e naſo, auribus, oculis effluxum absque mechanica harum partium ſolutione, inuoluntarium vrinae ac excrementorum emiſſionem inducit, quae aut lente minuuntur et ceſſant, aut compreſſi cerebri ſymptomata excipiunt: maxima concuſſio mortem ſecum vehit. Quae hic indicantur, auxilia chirurgica potiſſimum conſiſtunt in euacuationibus ſanguinis e braccio, collo, pede, humorum deriuatione,

alui ſolutione, diaeta tenuiſſima, animi corporisque quiete perfectiſſima, ſitu capitis erecto, aëris puri, frigidi acceſſu, epithematumque frigidorum adplicatione. Ad auertendas autem commotionis ſequelas alcalina volatilia et opium diaphoreticis nuptum cum ſucceſſu propinata fuiſſe legimus.

DLXXIII. Mvltiplici modo ab iniuria externa *compreſſionem* pati poteſt cerebrum: a corpore alieno per cranium immiſſo, ab oſſe depreſſo, a ſanguine, lympha ſeroue effuſo, a pure collecto, ab indurationibus aut tumoribus ſaccatis poſt commotionem cerebri lente obortis. Corpora aliena per tenuiores pyxidis oſſeae partes, ſicut certas portiones naſales, orbitales, occipitales, temporales fractas, vel per vulnera ſclopeto facta in cranii caueam ingreſſa noſcuntur ex cauſſa laeſionis praegreſſa, corpore laedente, loco laeſo, exploratione vulneris debita ſymptomatibusque rite perpenſis. Os depreſſum, plerumque cum fractura, interdum tamen, in infantibus ſaltem, absque fractura (dlxviii) accidens, ſenſibus percipitur et ex ſymptomatibus ſuperuenientibus diiudicatur. Sanguis cerebrum com-

comprimens aut in vaſis commotione debilitatis accumulatus, aut inter cranium et menyngem, inter duram et piam matrem, in ſubſtantia cerebri, et in huius denique ſinubus effuſus haerere poteſt. Cognoſcitur haecce compreſſionis cauſſa ex ſignis commotionis praegreſſae perſiſtentibus vel poſt breue interuallum recurrentibus, pulſuque tardo inaequabili. Diagnoſis loci ſpecialis adcurata capitis tonſi perluſtratione, oſſis laeſione qualicumque et dolore ab aegroto percepto, vel huius indigitatione automatica, viſu denique, auditu, ſenſu, motu alterutrius lateris laeſo, obscure quidem indicatur, certa hactenus deſideratur. Pus, vel durae matris ab oſſe ſeparatae, vel cerebri commoti, vel huius illiusue inflammatae proles, easdem ſedes occupare poteſt ac ſanguis effuſus, rarius tamen inter menynges haeret. Noſcitur ex violentia praeuia, ſignisque commotionis et phlogoſeos praecedentibus, ſymptomatibus conſequutiuis ſerius ſuperuenientibus. Humorem denique ſeroſum vel lymphaticum poſt iniuriam capiti forinſecus illatam a vaſorum debilitate, ſanguinis, inprimis venoſi, curſu impedito, in ſubſtantia

cerebri aut eius ſinubus aut inter matres, aut in baſi cranii accumulari poſſe frequens obſeruatio docuit. Cuiuscumque autem compreſſionis cerebri ſymptomata prodiuerſo morbi gradu aut ſtatim cum ſignis commotionis adſunt, aut poſt breue interuallum, aut lente denique et ſero accedunt. Quo pertinent dolor capitis grauatiuus, vertigo, ſyncope, febris, pulſus inaequabilis, tardus, apoplecticus, delirium, ſaepe furioſum, adfectus ſoporoſi, oculorum immobilitas ſ. celer vehemensque motus, interdum eorum inflammatio, inuoluntaria vrinae et faecum aluinarum excluſio, in aliis ventris conſtipatio, infarctus et ſuppuratio iecinoris, ſpasmi, conuulſionesque latus adfectum plerumque inuadentes, paralyſis, oppoſitum maxime occupans, morte, niſi cauſſa comprimens tolli queat, ſcenam claudente. Omnis cerebri compreſſio a violentia externa ortum ducens ancipitem habet *euentum* diuerſus autem eſt periculi gradus, pro diuerſa cranii laeſione, compreſſionis ſede, corporis comprimentis indole, liquidi effuſi quantitate et mutatione, malique medicabilitate. Quodſi tamen ſanguis collectus in cauſſa, aetateque iunior

or fuerit aegrotus, promtius et vehementius insurgunt ſymptomata, aeque cito receſſura, ſanguine nempe facile reſorpto. Cerebelli laeſiones ab iis, quae cerebrum patitur, non abludunt, ob maiorem vero partis dignitatem et difficiliorem vel impoſſibilem medentis acceſſum, plerumque grauiora et ſaepiſſime lethifera induunt ſymptomata. *Curationem* quod ſpectat, compreſſio cerebri a corpore alieno huius ablationem poſcit. Os depreſſum releuandum eſt, nullo tamen ſternutatorio vel emplaſtro adhaeſiuo adhibito. Sanguinis vt et puris effuſio ſaepe auerti, et ſi adſit, reſorptione adaucta curari poteſt, venaeſectionibus, alui ſubductionibus, rita loci adfecti inciſione, humorum deriuatione et reliquis concuſſi cerebri praeſidiis tempeſtiue vſurpatis. Quibus fere omnibus palmam praeripit frigida capiti admota. Subſiſtentibus autem ſymptomatibus in loco indicato os perforandum eſt, vt fluidum emittatur: nec ſi prima terebratione nihil eductum fuerit, in ea adquieſcat Chirurgus, ſed plures exſcindat orbiculos, ipſasque menynges, quinimo cerebri ſubſtantiam, ſi profundius haerens hu-

mor indicetur, haud timide incidat et perlustret: dulce enim atque decorum erit viro cordato remedium quantumlibet anceps creditum, potius expertum esse quam aegrotum certo mortis periculo reliquisse.

DLXXIV. Ex adlatis patet, *trepanationem* seu cranii perforationem, tempestiue abministratam, etiam pro re nata repetitam in commotionis cerebri sequelis inque mechanica huius aut menyngum compressione aut irritatione, vnicum saepe esse vitae seruandae remedium, sicut quoque prae ceteris praesentissimum est et efficacissimum. Innumerabiles profecto in fastis chirurgicis occurrunt casus, in quibus trepanum omnimode ad artis regulas adhibitum mirificam tulit operam, vel absque dubio, nisi praeiudicium aliaue medentis culpa obstitisset, aegrotum morti erepturum fuisset. Neque vsquam fida experientia probatum est, hanc operationem per se inferre noxam. Potest autem cranium in toto suo ambitu externo perforari, excepta regione sinuum frontalium et spinarum et inaequalitum occipitalium. Tractus arteriae menyngeae sub ossis parietalis angulo decurrentis

non-

nonnisi vrgente necessitate terebrae subiiciendus est. Sedulo denique cauendum est, ne ossi fracto vacillanti haec admoueatur. Ad suturas vero et sinus durae matris impune adplicari posse trepanum, quid? quod sinus longitudinalis laesionem non solum non extimescendam esse, verum etiam sanguinis ex hoc canale missionem salutarem praestitisse effectum, experientia compertum est. Congrua itaque partium caluariam obtegentium incisione ossisque sufficiente denudatione facta, ad quem scopum vt et ad commodiorem deligationem citioremque sanationem adprime inseruit resectio labiorum vulneris, capite rite firmato perforatio ossis prouide atque suspensa manu facta trepani circumactione, ad artis regulas absoluitur, iugiter explorando coronae orbitam. Cui operationi satis idoneum est trepanum vsitatum; alii vero ob adcuratiorem capitis firmationem sinistra medentis manu praestandam compendiosius terebrae genus, Anglis familiare, praeferunt, cuius tamen reciprocationes manum poscunt non facile fatigandam. Ablato orbiculo ossis exciso ac circumrasis foraminis oris, os, si depressum vel

fractum fuerit, eleuatorio commodo extrorſum ducitur: quae forte adſunt, fragmenta minora forcipe extrahuntur: fluidum ſub apertura obuium effluit; in vicinia latitans depreſſa menynge prolicitur; ſub dura matre haerens, eiusque eleuatione et liuore transparente cognoſcendum, hac inciſa educitur. Quodſi ſymptomatibus perſiſtentibus cerebrum propulſum et percepta in eo fluctuatio, quae quidem raro ſatis euidens eſt, deliteſcentis in ipſa illius ſubſtantia humoris effuſi ſuſpicionem creet, haec quoque incidenda eſt vt materies ſtagnans effluere vel, ſi eius tenacitas profundiorue ſedes id non permittat, ſiphone extrahi poſſit. Operatio, ſi ſcopum non attigerit, ſi nullum corpus alienum comprimens detegerit, ſi ſymptomata permaneant vel etiam augeantur, ſi fractura vel fiſſura ad locum magis decliuem protracta inueniatur, ſi os depreſſum non vno leuatore attolli queat, ſi effuſio liquidi ſeu ſuppuratio latius extenſa fuerit, perforatio oſſis haud timide multiplicanda erit, ratione loci ſuſpecti ſemper habita, quod maxime de contrafiſſuris ſeu reſonitu valet.

DLXXV.

DLXXV. Cerebri *vulnera* ex cauſſa praegreſſa ſignisque ſenſualibus dignoſcenda, neque nimis profunda neque remediis pinguibus, acribus, aquoſis vexata, absque vllo ſymptomate ominoſo interdum conſolidari poſſe, experientia euicit. Profunda vero, medullam oblongatam, ſupremam ſpinalis partem, cerebelli ſubſtantiam interiorem, corpus calloſum ſinusque cerebri attingentia, citam mortem adducunt, quamquam vnum et alterum horum aegrotorum ſuperſtitem fuiſſe legatur. In vniuerſum autem vulnera encephali adplicationem medicamentorum balſamicorum ac ſpirituoſorum dilutorum, raram deligationem, plerumque laxam, ſi fungus exſurgat, firmiorem, excreſcentiae, ſi reprimi nequeat, reſectionem ſatis profundam, totam denique methodum antiphlogiſticam, corporisque et mentis quietem requirunt: ſedulo quoque arcendus eſt aër, tum maxime Venus. Reliqua tractatio non recedit a generali vulnerum therapia.

Vulnera faciei.

DLXXVI. Vvlnera faciei in genere conditionem aliorum vulnerum quoad partes laeſas,

sequuntur peculiarem tamen curam desiderant, vt labia debita fasciationis, rarissime suturae adminiculo exactissime reuniantur ne cicatrix difformis supersit.

Vulnus genae.

DLXXVII. In vulnere genae, si ductus Stenonianus dictus fuerit laesus, ob continuum saliuae effluxum, externum vulnus consolidari non poterit, quapropter, si pars ad os spectans adhuc integra et peruia supersit, filo perducto vel denique simplicissima methodo, caustico exsiccante caute adplicato, saliua ad cauum oris dirigenda est, quo facto sub mandibulae quiete vulnus externum leniter compressum cicatrice claudi poterit. Fistula saliualis vero insequens therapiam poscit alibi exponendam.

Labium leporinum.

DLXXVIII. Labivm leporinum in vniuersum *dicitur* solutio continui labii cuiusdam, plerumque superioris, huius fissuram inducens, ex caussa qualicumque prognata. *Diuiditur* in naturale seu congenitum et accidentale. Vtrumque iterum vel simplex est vel duplex, vel recens vel inueteratum, vel purum vel complicatum.

Com-

Complicationes labii leporini naturalis in infantibus recens natis ſunt fiſſura duplex, maxilla protuberans, dens prominens, mandibula anterius fiſſa, palatum diuiſum. Accidentale vero complicatum reddunt grauior contuſio, dilaceratio, inflammatio, ſubſtantiae deperditio, maxillae laeſio. *Symtomata* varium huius morbi gradum concomitantia ſunt ſuctio, manducatio, deglutitio, loquela impedita, continuus ſaliuae effluxus et faediſſima oris deformitas. Hiatus labiorum fiſſurae in omni labio leporino ſubſtantiae defectum mentiens, eam reapſe non indicat, ſed a muſculorum contractione oritur. Quodſi autem vera ſubſtantiae deperditio adſit, vti poſt carcinomatis ablationem, maxime hiant labia. *Prognoſis* mali ex difficultate labium fiſſum vniendi pendet. Hinc quaelibet complicatio ſtatum difficiliorem reddit. Oſſis fiſſuram nulla ars conglutinare valet. In malo, ſiue recente ſiue inueterato, *curando* marginem fiſſurae in vulnus recens, cruentum, rectum, ſuperius angulatum mutare ſatagit Chirurgus, in vniuerſum deinde communem vulnerum therapiam, reunionem nempe, ſimpliciſſima methodo praeſtandam,

dam, subiungens. In omni quidem aetate tenerrimaque infantia labii leporini reunionem perfici posse experientia constat; in infantibus tamen abstinentia a somno praeuia ad felicem operationis successum prodest. In maximo labii hiatu vel vbi reuera deperdita est substantia, compressio genarum, fasciae vnientis ope obtinenda egregiam confert symbolam vt musculi antrorsum propellantur aegrotusque ferendo vincturae iniectae incommodo assuefiat.

DLXXIX. Ipsa labii leporini *operatio* consistit in debita marginis fissurae ablatione, subsequente labiorum vulneris adductione exactaque eorum in contactu ad perfectam cicatricem vsque firmatione. Ablatio marginis aut cultro chirurgico in lamella seu charta firma, sub qua labium tenditur, aut forfice ita perficitur, vt tota pars rubra et pauxillum cutis auferatur, ambaeque incisiones in angulum acutum coeant, quare fraenulum, si infra fissuram adhaereat, incidendum erit. Incisiones vero genarum lunatae ad facilitandam reunionem laudatae omnino reiiciendae sunt. Vulneris tunc recentis labia genis antrorsum pressis ad se inuicem adducuntur

tur et in hoc ſitu aut ſuturae aut ſolius faſciationis ope firmantur. Sutura circumflexa in vnione labii leporini ſollemnis ſequenti modo praeſcribitur. Labiis vulneris ad ſe inuicem adductis duae vel tres acus aureae verſus apicem planae, ſcindentes ſeu flexiles, prior prope prolabia, altera trium linearum a priori diſtantia, per mediam labri cruentati partem ita transmittuntur, vt orae ſibi aequales fiant. Quo facto filum acui ſingulae laxe circumducitur vt orae approximatae contineantur, inſtertitiis vero emplaſtrum adhaeſiuum adplicatur. Rariſſime tertia acu opus eſt. Triduo elapſo acus vacillare ſolent tuncque auferuntur. Suturam circumflexam, filo praecipue arctius adſtricto, ſaepe, ob accedentem tumorem ac inflammationem, rupturam inſequi, atque reunionem labii leporini e contra ſine vlla ſutura, ſola defaſciatione, vel vnico filo laxe prope labii marginem ducto, tutius obtineri poſſe, experimentis compertum eſt. Adparatus deligationis ex emplaſtris ſpleniis et faſcia vniente, huic ſcopo adornatis, ad artem iniiciendis, conſiſtit. Haemorrhagia labii cruentationem ſequens plerumque

ſolo

ſolo vulneris contactu ſiſtitur; in infantibus tamen operatione peracta ſitum capitis erectum requirit, ne ſanguis in cauum oris effluens deglutiatur.

DLXXX. Dvplex labii fiſſura ſiue pars labii media ſecundum naturam formata ſiue in globi figuram contracta fuerit, alterutrius hiatus, et hoc ſanato alterius denique lateris reunionem methodo iamiam recenſita peragendam poſcit. Pars maxillae protuberans recidenda eſt, dens prominens, niſi in cauum oris duci poſſit, euellendus. Quamquam autem mandibula fiſſa arte conglutinari nequeat, ſanatis tamen partibus mollibus ſaepe Naturae beneficio hoc ſuccedit. Linguae aut inciſione aut morſu facta profunda vulneratio, quiete partis huiusque in ſacculum ex tenui linteo confectum et dentibus molaribus adfigendum immiſſione, frequentioreque cum vino et melle humectatione et ablutione ſanatur.

Colli vulnera.

DLXXXI. Inter colli vulnera medullae ſpinalis in vertebris ceruicalibus incluſae, nerui vagi,

vagi, intercoſtales, diaphragmatici, arteriae carotidis, vertebralis, venae iugularis internae vulnera, ruptura oeſophagi aut eius cum aſpera arteria totalis diuiſio certam inferunt mortem. Nerui recurrentis laeſi ſequela eſt aphonia inſanabilis. Reliquis generalis therapia competit.

Vulnera pectoris.

DLXXXII. Vvlnera *pectoris* thoracis aut partes *continentes* ſolas laedunt, aut *cauum* ſimul attingunt, aut partes *contentas* denique afficiunt. Alia ſunt ſimplicia, alia complicata.

Vulnera partium continentium.

DLXXXIII. Et primo quidem *ſimplicia* partium continentium vulnera ab iis quae de vulnere ſimplici diximus, nullo reſpectu abludunt, ſolam reunionem deſiderant, Naturae viribus arte adiutis praeſtandam. Omnia tamen pectoris vulnera ob perpetuum coſtarum motum tardius conſolidantur. *Complicata* euadunt partium continentium vulnera maiori contuſione, dilaceratione, inflammatione, obliquitate ſiue punctura, ſanguine, pure, aëre inter partes collecto, arteria mammaria externa, interna, thoracica, inter-

tercoſtali, laeſa, corporibus alienis, ſterno, coſtis ſiue coſtarum interſtitiis impactis, oſſium disſolutione et denique in cauitatem penetratione. *Contuſio*, inflammatio, dilaceratio ex ſignis obuiis dignoſcenda therapiam (DXLVII) expoſitam poſcit, genio morbi adornatam, haud neglecta venae ſectione pro circumſtantiis repetita. *Obliquitas* vulneris punctura inflicti et inde impeditus ſanguinis purisque effluxus, ex cautiſſima vulneris exploratione in eo, quo violentiam paſſus eſt aeger, ſitu inſtituenda, inſtrumenti laedentis cum vulnere comparatione, accedente tumore, dolore et duritie aliqua interdum obſcure fluctuante, reſpiratione, ſub hauriendo praeſertim ſpiritu, laeſa, diiudicanda, praeter generalem therapiam (DXVI) laudatam, vulneris dilatationem exigit. *Arteriae* intercoſtalis laeſio, vulnere in cauum pectoris haud penetrante noſcitur ex huius directione et effluxu ſanguinis arterioſi, eo maiore quidem, quo proprior laeſio eſt ortui arteriae. Quodſi in cauum peruenerit inſtrumentum vulnerans aut ſanguis externe non effluat, ex ſignis haemorrhagiae internis (DXIX) et effuſionis in cauum pectoris (CCXCVII)

cog-

cognoſcitur. Praeterea lamellam ſiue chartam per vulnus externum in cauum pectoris inductam rem declarare legitur, ſanguine nempe ſupra illam, ſi ex intercoſtali arteria, infra eandem vero, ſi e cauo thoracis prouenerit, effluente. Poſteriore huius arteriae parte diuiſa, vix obtineri poſſe ſanationem videtur; in vlteriore progreſſu vero, vulnere rite dilatato, acu magna curuata circa ſuperiorem coſtam ducta ligari, tutius tamen commodiusque lamina firma in vncum curuata, cui fungi quercini fruſtum adfixum eſt, ad coſtam comprimi poterit. Vbi ex grauiore haemorrhagia ſuſpicio naſcitur, ex parte tantum inciſam eſſe hanc arteriam, totali eius abſciſſione et ſuccedente compreſſione malo occurrendum eſt. Arteriae mammariae externae vt et thoracicae laeſioni communi arteriarum vulneratarum therapia occurritur, internae autem mammariae laeſio ob difficiliorem acceſſum eſt periculoſiſſima. Quodſi vulnere dilatato minora cartilaginum interualla compreſſionem vel ligaturam excludant, vrgente neceſſitate cartilago auferenda eſt, quo facto alterutrum remedii genus in binis, quos inferior huius arte-

riae anaſtomoſis indicat, locis inſtitui poterit. Corpora denique aliena coſtis, ſterno vel coſtarum interſtitiis impacta extractionem deſiderant, prouidiſſimam tamen, ne in cauum pectoris protrudantur. De oſſis cuiusdam fractura ſuo loco dicetur.

Vulnera in thoracis cauum penetrantia.

DLXXXIV. Vvlnera pectoris in alterum pleurae *cauum* penetrantia noſcuntur ex comparatione inſtrumenti laedentis cum vulnere huiusque exploratione cautiſſima, ſpecillo laeui obtuſo famulante, in eo, quo aegrotus plagam acceperat, ſitu inſtituenda; quibus maiorem certitudinem addit aër ex vulnere ſub inſpiratione cum ſibilo elabens, ſub exſpiratione in idem irrumpens, ſymptomatumque laeſionem partium internarum aut ſanguinis in dictum cauum effuſionem indicantium praeſentia. Tale quidem vulnus, ſi ſimplex fuerit, ea, quae vulneribus in vniuerſum competit, ratione curandum eſt: reunione nempe, in hoc tamen caſu emplaſtri agglutinantis in corio extenſi ope, quod ſub

forti

forti inſpiratione adplicatur, praeſtanda. Complicata autem reddi poſſunt vulnera cauum pleurae adeuntia, vtroque pleurae ſacco aperto, Emphyſemate, pulmone laeſo vel particula quadam prolapſa, ſanguine in cauum pleurae effuſo et aliis denique partibus contentis laeſis.

DLXXXV. Et primo quidem *vtroue pleurae ſacco* vsque adeo laeſo, vt aër relicta glottidis rima, vulnera ſubeat ambosque pulmones petat, ob ſuffocatam eorum dilatationem periculoſiſſimam eſſe et cito lethalem fieri prono fluit impetu.

DLXXXVI. Non ſolum vulneris pectoris, oblique inflicti praeſertim, ſiue pulmonem ſimul laeſerit, ſiue minus, verum etiam coſtae vel absque vulnere externo fractae pulmonemque laedentis proles eſt *Emphyſema*, vtpote ab aëre in telam celluloſam effuſo naſcens. Vnde non thoraci proprium, ſed aliis quoque partibus oblique punctis vel contuſis vel alio modo aditum in dictum textum aëri praebentibus, commune eſt malum, in variis morbis chronicis, vlceribus ſinuoſis non inflammatis, gangraena immi-

nente et aliis morbis putridis haud infrequens, quinimo turpis lucri cauſſa arte nonnumquam in homine interdum non ſecus ac brutis inductum. Cognoſcitur autem tumore pallido, frigido, extenſo, qui preſſus ſtridorem ſingularem facit, foueasque ſiſtit, mox tamen euaneſcentes. Permanente cauſſa totum corporis habitum occupare inque ſtupendam molem increſcere et ſubtiliſſimas cellulas, ne ipſo quidem humore vitreo excepto, adire poteſt. Natales vero ex thoracis vulnere trahenti, ſtatim priusquam vires eundo acquiſiuerit, vulneris dilatatione, vel ſi nullum adfuerit, ſufficiente in loco adfecto inciſione, vt aëri exitus pateat, ſubiuncta huius verſus vulnus preſſione et externa diſcutientium, roborantium, adſtringentium adplicatione, occurrendum eſt. Maioris ambitus Emphyſema a cauſſa externa obortum, praeter generalem loci adfecti therapiam citamque aëris eductionem plures inciſiones deſiderat. Maximum denique, abſtruſas praeprimis celluloſae telae ambages infeſtans, vel ab humorum labe inductum, totius eius textus corruptionem certamque mortem adfert.

DLXXXVII.

DLXXXVII. Pars *pulmonis prolapsa* dilatato vulnere citissime reponenda est. Quodsi vero iam a strangulatione fuerit corrupta, ligatura aut cultro candente auferri posse legimus. Tutius tamen videtur, adhibitis cautelis generalibus spontaneam corrupti separationem exspectare, vel maxima respirationis difficultate vrgente portionem corruptam cultro recidere et haemorrhagia sedata in cauum reponere.

Vulnera partium pectoris internarum.

DLXXXVIII. Ipsvm *pulmonem vulneratum* esse cognoscitur ex directione vulneris eiusque cum instrumento laedente comparatione, respiratione, maxime thoracis dilatatione, laesa, sanguine vesiculato purpureo per os eiecto. Si pleura pulmoni adhaereat, dictus sanguis vesiculatus e vulnere effluet, saepe quoque emphysemate maiore atque sapore remediorum adplicatorum accedente; si pleurae haud accretus fuerit pulmo laesus, symptomata sanguinis in saccum pleurae effusionem declarabunt. Superficiale pulmonis vulnus methodo antiphlogistica cautissime tractatum, Naturae viribus sanari potest. Magnae autem et profundae plagae, supremam

maxime et interiorem pulmonis partem diſſoluentes, aut ob grauiſſimam haemorrhagiam cito, aut ob inſequentem inflammationem et ſuppurationem lentius lethales habentur.

DLXXXIX. Recens vulnerato, rarius inflammato et ſuppurato pulmone aër interdum in propriam illius celluloſam tunicam, vaſa nec-tentem ſeſe diffundit, *Emphyſema pulmonale* conſtituens, vix vlla arte medicabile, verum ſub ingenti anxietate et ſpirandi difficultate haud tárdam mortem adducens.

DXC. Mvltiplex datur *effuſio* liquidi in pleurae caueam ex violentia externa naſcens: ſanguis enim, aër, pus, lympha denique vel ſerum hic colligi poteſt. Communes autem fluidi in ſaccum pleurae effuſi notae habentur ex cauſſa praegreſſa cognita, reſpiratione, maxime ſub ſpiritus emiſſione, difficili, anxietate ſumma, decubitu in latere vulnerato vix ferendo, in oppoſito, intolerabili, in dorſo, leuato pectore, commodiore, ſenſu ponderis moto corpore mobilis, coſtis a ſe inuicem paulo magis recedentibus, minus mobilibus, ſono per-

percuſſo pectore ſuffocato et reliquis (CCXCVI) adlatis. Specialis effuſi diagnoſis e cauſſa praegreſſa et ſymptomatum acceſſione eruitur. Sanguinis collectio preſſo pede ſequitur vulnerationem, tertio plerumque die ad coſtas ſpurias lateris aegroti echymoſi coerulei coloris, ſanguini per pleuram tranſſudanti forte tribuenda, ſeſe manifeſtans. Puris effuſionem ſymptomata inflammationis, vomicae aut vlcerationis praecedunt. Aquoſa autem accumulatio poſt violentiam externam raro obſeruatur, frigidorum viſcerum infarctuum haud infrequens ſequela. Poſteriores duas effuſionis ſpecies oedema externum comitari ſolet. Aërem denique in ſacco pleurae diffuſum declarant cauſſa praegreſſa, communia effuſi in hoc loco ſigna, absque ſymptomatum ſub certo ſitu aggrauatione vel leuamine, coſtarum aequabili extenſione et ſonitu pectoris percuſſi notabiliore. Cuiuslibet vero effuſionis *curatio* chirurgica accumulati liquidi eductionem poſcit. Quae niſi idoneo corporis ſitu aut vulneris dilatatione peragi poſſit, paracentheſin in loco electo atque ſuccedentem tractationem (CCXCIX) expoſitam poſcit. Si vero

tenacitas fluidi effluxum prohibeat, iniectione diluendum eſt. Inſpiratio autem fortis, tuſſiendi conatus, ſanguinisque ſiphonis aut oris ope adtractio, ob vulneris in vaſe laeſo dilatationem coagulique ablationem, haud immerito ſuſpecta habentur. Neque iniectiones diluentes ſine adcuratiſſima cautela adminiſtrenrur.

DXCI. Omnia ceteroquin pectoris vulnera cito et leniter deliget Chirurgus, ab alienorum corporum immiſſione caſte abſtineat, aërem a vulnere, quantum fieri poteſt, arceat vel ſaltem deligationis tempore igne adpoſito attenuet, vulnus ſub quotaquaque inſpiratione obtegat, neque thoracem faſciis conſtringat. Reliqua vulnerum thoracis tractatio pulſu ac haemorrhagia indicatur.

DXCII. Vvlnera pectoris, cor ipſum eiusue auriculas, vaſa maiora, medullam ſpinalem attingentia, citam plerumque mortem inducunt; ductus thoracici denique diſſolutionem, effuſionem in mediaſtino poſteriore creantem, ſerius quidem at ineuitabiliter interimere obſeruationes docent. Vulnerato pericardio cordeque in ſuperficie tantum

tantum laeſo ſuperſtites fuiſſe nonnullos legimus, vnde liquet in effuſione ſanguinis vel aqua in pericardio haud dubie] declarata huius ſacci inciſionem ſeu punčturam, dummodo cauta manu regatur ferrum, omnino inſtitui poſſe. Sanguinis vel puris in mediaſtino anteriore collečti edučtio minus tuto inciſione in cartilaginum interſtitio fačta, tutius terebra ſterno admota euacuari, experientia conſtat. Diaphragmatis vulnus, vix absque nobiliorum partium laeſione infligendum, ſemper periculoſum eſt: parte tendinea vulnerata extemplo dolor naſcitur vehementiſſimus, reſpirationis ſumma difficultas, anxietas intolerabilis, ſpasmus aut conuulſio, in mortem breui terminantes. Maiora eiusdem ſepti vulnera partium in abdomine contentarum adſcenſui in pečtoris cauum anſam dare poſſunt.

Vulnera abdominis.

DXCIII. Vvlnera imi ventris aut partes continentes ſolas aut contentas ſimul laedunt. Vtrumuis genus, vti alia vulnera, inſtrumento ſcindente, pungente, contundente infligi variamque direčtionem et magnitudinem habere poſſunt. Vel ſimplicia ſunt, nullo nempe niſi ne-

cessario symptomate stipata, vel diuersimode complicata.

Vulnera partium abdominis continentium.

DXCIV. Vulnera partium imi ventris continentium *simplicia* ad generalem vulnerum simplicium rationem sunt tractanda, vtpote nil nisi reunionem, situ et defasciatione praestandam, desiderantia. *Complicata* autem haec vulnera fiunt contusione, dilaceratione, punctura, obliqua praecipue, partium aponeuroticarum, haemorrhagia, humorum in musculorum interstitia effusione ac denique in cauum peritonaei penetratione.

DXCV. Vulnera harum partium *contusa*, ex caussa praegressa et signis contusionum generalibus (DXLIV) cognoscenda, grauia interdum symptomata, inflammationem nempe, dolorem auctum, febrem, tensionem ventris ac subsequentem suppurationem inducunt, ad horum morborum genium tractanda. *Dilacerata* autem cum deperdita inprimis substantia, aut magnam ventris partem occupantia, aut copiosam suppuratio-

rationem creantia ob imminutum partium contentarum fulcrum herniis ventralibus viam sternunt. *Puncta* denique, obliqua, lineae potissimum albae, vaginae musculi recti aliiue aponeurosi illata, grauissimas inflammationes, cum dolore acuto, vomitu, singultu, conuulsionibus periculosissimis adferre solent, tempestiua vulneris dilatatione auxiliisque antiphlogisticis auertenda. *Haemorrhagia* oriri potest ex laesione arteriae mammariae, epigastricae, abdominalis, aliusue minoris, e vulneris situ signisque obuiis diiudicanda. Supprimitur autem, dilatato vulnere externo, adplicatione fungi quercini digitoque comprimente, vel nisi haec succedant ligatura, quam arteria mammaria aut epigastrica duplicem vult. *Effusio* sanguinis vel puris aut in cellulosa sub integumentis aut in musculorum interstitiis, aut in vagina recti aut denique inter musculos et peritonaeum haerere potest. Noscitur ex caussa praegressa, vulnere paruo obliquo puncto, accedente dolore, tumore, duritie circumscripta et fluctuatione, si sub cute haeret effusum, distincta, si profundius aut sub aponeurosi delitescat, obscuriore, absentibus

pene-

penetrationis aut partium contentarum laeſionis ſignis. Deſiderat promtam vulneris dilatationem aut in loco decliui inciſionem, adhibita deinde therapia vlceribus ſinuoſis adaptata, inferius dicenda.

DXCVI. Vvlnervm partium abdominis continentium, ſiue in iisdem conſiſtentium ſiue in cauum penetrantium, *prognoſis* ex ſymptomatibus pendet, prout vel ſimplex vel complicatum declarant aut reddunt vulnus. Hinc anxie repetita exploratio, iniectiones aliaque ad detegendum vulneris terminum commendata, niſi ſymptomata vrgeant, non ſolum ſuperflua ſed ſaepe etiam perniciosa ſunt, dum vulnus intempeſtiua atque incauta percontatione ex ſimplici complicatum euadere poſſit.

DXCVII. Commvnis horum vulnerum complicatorum (dxcv. vi) *curatio* ſymptomatum mitigationem ſingulorum genio adornatam, inflammationis praeprimis auerſionem, et hoc facto citam reunionem, ſitu, quiete, emplaſtris et faſciis modice adſtrictis, rariſſime Gaſtroraphia obtinendam, exigit.

Vulne-

Vulnera in cauum ventris penetrantia.

DXCVIII. Vvlnvs abdominis in *cauum* penetrasse docet instrumentum cum illo comparatum et cautissima exploratio, specilli obtusi flexilisque ministerio in eodem, quo vulnus exceperat venter, situ, instituenda, certissime autem syndrome symptomatum partium internarum laesionem vel liquidi intra peritonaeum effusionem denotantium. Quod tamen, nisi superuenerint symptomata complicationem vel functionem laesam indicantia, instar simplicis tractandum erit. Complicatio autem hic datur quoties partes contentae vel e vulnere egrediuntur, siue sanum, siue corruptum aut laesum fuerit prolapsum, vel in abdominis cauo sunt laesae, vel denique eorum contenta simul effluunt.

DXCIX. Partes e vulnere abdominis reliquis facilius elabentes sunt omentum et intestinum tenue: a maiore tamen vulnere quoque intestina crassa, ventriculus, quinimo hepar et lien prolabi possunt. Signa generalia partes elapsas indicantia satis obuia sunt; in obesis tamen membrana adiposa per vulnus expressa

omen-

omentum prolapſum mentiri poteſt. Specialia ſigna regio vulnerata et cognitus ſitus partium naturalis, ſuppeditant. Egreſſam partem eſſe ſanam concludimus ex colore natiuo parum mutato, ſuperficie inteſtinali praecipue neque humido lubricante neque calore orbata. Laeſioni ſimul prae ceteris ſubiecta ſunt omentum et inſtinum, cuius vulnera ſenſibus facile ſeſe offerunt.

DC. Partes *egreſſae ſanae* (cxcix) citiſſime ſunt reponendae, neque obſtat mutatio coloris natiui in rubrum ſubfuſcum. Poſito nempe aegroto in tali ſitu vt muſculi relaxentur, vltima portio elapſa et deinde quae reſtant, vtriusque manus indice alternatim in ea agente ad vulneris directionem lente et absque omni violentia in abdominis caueam reprimuntur, primum inteſtino deinde omento reponendo. Cauendum autem ſub reductione, ne in vaginam recti muſculi vel aliorum interſtitia inpellantur partes, quod ſub laeta repoſitionis factae ſpecie certam mortem illaturum foret. Cognoſcitur autem partes elapſas priſtinam recuperaſſe ſedem, ſi poſt repoſitionem digitus in abdomine circa vulnus libere moueri poſſit.

DCI.

DCI. Redvctio partivm egressarum *difficilis* aut plane impossibilis reddi potest volumine earum aucto aut vulnere angustato. In priori casu intestina vel flatu excrementisue expansa vel tumore inflammatorio occupata esse solent. Expansioni interdum occurritur maiorem intestini portionem protrahendo, quo contenta diffundi possint: acupuncturae enim flatibus exitum parare nequeunt, siquidem tunica villosa foramina obstruit. Inflammatio vero plerumque a restrictione vulneris vel aëris contactu orta vix methodo antiphlogistica tempestiue adhibita, sed sola caussae irritantis ablatione tollitur. Vulnus vel inflammatione vel spasmodica musculorum contractione angustatur: in vtroque casu stimulum quantocyus remouere oportet. Sublata autem obstaculi caussa cito cauteque tentanda est reductio, quae nisi satis facili negotio succedat, dilatationem haud differendam poscit.

DCII. Vvlneris *dilatatio* ita instituendam esse volunt nonnulli, vt intestino egresso, sursum, omento autem prolapso, deorsum dirigatur sectio. Sub hac quantum fieri potest, parcere oportet partibus aponeuroticis, arteriis, ligamen-

to hepatis falciformi, quo transciſſo nexus hepatis naturalis pro parte ſoluitur. Decet etiam Chirurgum meminiſſe, venam vmbilicalem, quinimo arterias eius ſocias in nonnullis adultis ad vmbilicum vsque eſſe peruias, in quo caſu earum laeſio haemorrhagiam ſecum latura foret. Ob ſimilem rationem vrachus haud temere diuidi debet. Inter alia ad hunc ſcopum inuenta inſtrumenta, quo pertinet culter apice nodato, tecto, haud durato praeditus forſexque proprius; commodiſſimam ſuppellectilem conſtituunt culter chirurgicus curuatus ſolitus et ſpecillum ſulcatum rotundatum, planum. Ipſa encheireſis ſequens eſt: partibus egreſſis ad latera conductis ſpecillum ad perpendiculum iuxta marginem vulneris dilatandi in abdominis cauum inducitur: liber illius motus lateralis immiſſionem ex ſententia ſucceſſiſſe indicat. Tunc apex cultri in ſulcum ſpecilli per locum adſtrictum ducitur ac una cum ſpecillo eleuatur. Quodſi vero ne ſpecillum quidem in plagam dimitti poſſit, reclinata prolapſa parte, interpoſito digiti vngue, circumſpecte ſumma cutis ſcalpello inciditur, quo facto etiam muſculi vngue magis

magis-

magisque premente aperiri poterunt, donec laxior fiat ſpecillumque admittat plaga. Sufficiente dilatatione facta partes elapſae dicto (DC) modo in ventrem reponuntur.

Vulnera partium contentarum.

DCIII. PARTES egreſſas *ſimul laeſas* quod attinet, parua inteſtini prolapſi vulnera Naturae ſunt committenda, quum parcae diaetae, quietis et remediorum antiphlogiſticorum beneficio vulnusculum inteſtini reducti feliciter ſanari poſſe obſeruatio docuerit. Notabilius autem inteſtini haud corrupti vulnus *ſuturae*, in minoribus pellionum, in maioribus anſatae dictae, adminiculo reuniri conſueuit. *Pellionum* ſutura ſequenti modo inſtituitur. Inteſtino ſauciato blande arrepto labiisque vulneris eiusdem aequabiliter ad ſe inuicem adductis, filum ſericum crudum vel, quod praeſtat, duo diuerſi coloris, acu recta tenui ad apicem triquetra duce, prope vtrumque vulneris marginem valde oblique duplici aut triplici punctione circa vulnus perducuntur, vt acu retracta fila remanentia vulneris labia absque corrugatione unita ſuſtineant. Reducto tunc intra abdomen inteſtino extrema

fili extra vulnus externum emplaſtri cuiusdam ope affigantur cuti: ipſum dein filum poſt triduum vel quatriduum praeterlapſo extrahatur, oppoſita quidem directione, ſi duplex fuerit. In ſutura *anſata* duo vel pluria fila totidem acupuncturis ſeparatim per vtrumque vulneris labium ducuntur, quibus leniter coadunatis filisque deinde ad vulneris externi ambitum affixis, inteſtinum laeſum prope plagam partium continentium retinetur.

DCIV. Intestino plane *abſciſſo*, in duplice remedio omnis ſanationis ſpes poſita eſt: quippe vel extremis reunitis canalis integritatem reſtituere, vel iisdem cum vulnere externo conglutinatis anum artificialem creare ſatagit Chirurgus. Solis quidem Naturae viribus talia vulnera ſanata eſſe legimus: neque tamen ideo ſibi ſunt relinquenda, quum immedicabilis effuſio fieri poſſit. Inteſtino ſano non concreto obſeruandum eſt, ex vtronam extremo elabantur contenta. Hoc deinde in alterum ano naturali continuum immittatur perductoque per meſenterium filo, extus affigendo, firmetur. Raro neceſſe eſt vt meſenterium ab extremo ſuperiori in inferius inducendo ſeparetur. Haec metho-

methodus omnino praeferenda eſt temero artificio, quo aſperae arteriae ex animale quodam deſumtae portionem, aut chartam firmiorem, ambobus inteſtini extremis immittere eaque ſuper tali corpore alieno, per aluum deinde excernendo, conſuere ſuadent nonnulli.

DCV. Qvoad *curationem reliquam* vulnera inteſtinorum in vniuerſum rigoroſiſſimam diaetam et quietem omniaque phlogoſeos remedia poſcunt. Ab egreſſorum quoque ſuperficie, fotu emolliente tepido iugiter humectanda, ſollertiſſime arceatur aër.

DCVI. Vvlnera inteſtinorum elapſorum in genere ſpectata ancipitem habent *euentum*: ſaepe enim, praecipue ſutura inteſtinali facta, ſub laetiſſima fauſti ſucceſſus ſpe, quid? quod cicatrice iam inducta, ob generalem canalis inteſtinalis coarctationem a parciore paſtu obortam, aut ob partis vulneratae ſtricturam a cicatrice atque partium vicinarum concretione illatam, errore aliquo diaetetico commiſſo dolor colicus, obſtructio alui, vomitus, rupturae inteſtinales, effuſiones in abdomine, naſci certam-

que mortem adferre poſſunt. Quae tamen coarctatio in vulnere inteſtinali parum, in abſciſſo autem vel ſubſtantia priuato inteſtino maxime metuenda erit.

DCVII. Dicendvm nunc eſt de *ano artificiali* ceu altera inteſtino plane abſciſſo medendi ratione (dciv). Vbi nempe ob metum coarctationis inſequentis, tum quoque ob deperditam ſubſtantiam omiſſa eſt, vel ob praeſentem aliquam cum vulnere externo concretionem non amplius tentari poteſt inteſtini abſciſſi et elapſi reunio, absque vlteriore partium continentium diuiſione extrema inteſtini filo acu traiecto ad vulnus externum affigenda erunt, vt excrementa eo loco in poſterum emitti poſſint hiatusque remanens ani vices ſuppleat. Hic periculo anguſtationis caret, et ſi circatrici coaluerit atque inuerſio inteſtinalis debita deligatione praepediatur, cum incommodo excrementorum perpetuo elabentium, idonei receptaculi tamen ſueſcendique facultatis beneficio haud aegre demum tolerando, per totam vitam ferri poteſt, nullo huic periculo exinde nato, niſi forte ieiuni inteſtini pars ſuperior in anum factitium hiet ſicque mag-

magnam chyli partem, quae inferius abſorbenda fuiſſet, corpori detrahat. Conſolidationem labiorum vnlneris inteſtinalis rariſſime inter ſe, ſed vt plurimum cum vulnere partium continentium, aut cum omento, meſenterio, aliis inteſtinis, hepate, liene, concreſcere obſeruatione compertum eſt.

DCVIII. Laesiones *omenti* e vulnere prolapſi, de cetero ſani, pro diuerſo vaſorum volumine maiorem vel minorem haemorrhagiam inducunt, ſalutarem quidem vtque plurimum ſolis Naturae viribus cedentem: raro ſaltem ad eam ſiſtendam Chirurgia (dxx) expoſita opus eſt. Quo facto egreſſum oleo Terebinthinae inungitur inque abdomen reponitur.

DCIX. Partes e vulnere elapſae vel oblongiorem extra ſedes natiuas commorationem, vel ob corporum alienorum irritationem, vel denique ob vulneris ſtricturam breui tempore ita *corrumpi* poſſunt, vt nulla ſpes ſanationis ſuperſit. Quod cognoſcitur ex earum colore naturali in pallidum plumbeum, fuſcum, nigricantem mutato, odore cadaueroſo, et ſi in-

teſtinum inter prolapſa fuerit, huius exſiccatio-
ne.

DCX. Corrvpto autem *inteſtino* egreſſo
gangraena aut paruam ſuperficiei inteſtinalis par-
tem inuadit, aut totam diametrum aut denique
anſam inteſtini maiorem vel minorem compre-
hendit. Gangraena minorem ſuperficiei inteſti-
ni partem occupans, praeter ſigna viſui obuia,
ſymptomatibus mitioribus, et rupta deinde parte
contaminata, excrementorum per vulnus nonſe-
cus ac anum egreſſu declaratur. Vulnus exter-
num ſub hoc ſtatu haud dilatandum eſt, ne ſa-
lutaris concretio diſſoluatur. Adhibita metho-
do antiphlogiſtica, diaeta tenuiſſima, iniectione
blanda detergente, leui compreſſione, aluique
per clyſteres ſubductione, corruptum ſeparabitur
vulnusque ſine canalis inteſtinalis interceptione
conſolidabitur. Vulnus totam inteſtini diame-
trum ſiue anſam iſtius gangraenoſam complec-
tens aut cum vulnere externo concretum, quod
quidem ſaepiſſime ob praegreſſam phlogoſin
accidit, aut nondum cum eo coalitum inuenitur:
in vtroque ſtatu ſymptomata ſunt grauiora at-
que totalis tubi inteſtinalis imperuiatio adeſt.

Rupta

Rupta autem parte gangraenoſa faecibusque emiſſis ſymptomata incarcerationis ceſſare ſolent. Tunc auferatur quidquid corruptum eſt, et vbi iam adeſt concretio cum vulnere externo, anus remanebit vtplurimum artificialis: ſin minus, ſutura inteſtinali facta (DCIII) elapſa pars in cauum ventris reponenda, aut vtroque extremo ad vulnus partium continentium adducto et firmato (DCVII) anus artificialis ſtruenda erit. Quid? quod ſub his circumſtantiis canalem inteſtinalem virium Naturae beneficio, clauſo vulnere externo, priſtinam integritatem recuperaſſe obſeruatum eſt. Quod ſi ſutura inteſtinali adhibita vulnereque deinde ſanato, poſt aliquod tempus ab errore diaetetico commiſſo vel alia cauſſa ſymptomata ſuperueniant, canalis imperuiationem et rupturam contentorumque in cauum ventris effuſionem declarantia, omnis miſeri ſalus poſita eſt in promta cicatricis externae inciſione, faecum elapſarum eductione, et ani denique artificialis efformatione.

DCXI. Si *omentum* e vulnere abdominali prolapſum ex dictis (DCIX) cauſſis corruptionem ſubiuerit, ablata, ligaturae vel cultri miniſterio,

parte gangraenosa, pars sana vel reducenda vel coalitui cum vulnere externo committenda est. *Ligatura* omenti in parte sana minoris portionis simplex, maioris duplex, ad partis corruptae separationem absque haemorrhagiae metu accelerandam commendata, symptomata ominosa, dolores nempe acutissimos, grauiores omenti inflammationes eiusque suppurationes ipsamque mortem, experientia teste, inducere valet, quae quidem pericula adstrictione fili pedetentim aucta non auertuntur. Facta nihilo minus ligatura parteque elapsa crudeli hac methodo a corruptione liberata, isthaec in abdomen reponenda est. Tutius in subsidium vocatur *scalpellum*: inde enim nascens sanguinis profluuium inflammationi metuendae potenter obstat, solius Naturae medelam plerumque admittit. Nisi hoc fiat leui compressione ac applicatione fungi quercini vel, si haec successu careant, ligatura supprimitur. Extremum omenti abscissi, si in vulnere relictum fuerit cumque eo coaluerit, insequuturae quidem herniae obstabit; attamen ob ventriculi tensionem motumque laesum satis grauia symptomata exinde oriri posse obseruatione

tione conſtat. In univerſum autem omentum e vulnere egreſſum absque repoſitione coalitui cum vulnere externo committi poteſt, quoties portio parua ſupraque vmbilicum egreſſa ventriculum cibis diſtendi corpusque pro lubitu retroflecti ſinit, neque inteſtini aliquam partem ſimul elapſam inuoluit. In contrariis caſibus omnino in ventrem reducendum eſt.

DCXII. Partivm in imo ventre *contentarum absque egreſſu* laeſio congnoſcitur ex inſtrumenti vulnerantis in cauum abdominis penetratione (DXCVIII), plagae ſitu, fluidi effluentis indole, functione cuiusdam partis laeſa, ventris tenſione ac intumeſcentia, accedente inflammatione, dolore acuto fixo, ſignisque factam in cauum abdominis effuſionem indicantibus. Saepe tamen peruerſus viſcerum ſitus, ſiue congenitus ſiue morbo acquiſitus, diagnoſin vulnerum partium contentarum incertam reddit.

DCXIII. Vvlnvs *ventriculi* praeterea noſcitur ex alimentorum ex vulnere egreſſu, vomitu cruento, dolore, anxietate et ſymptomatibus generis neruorum irritati ſaepe grauiſſimis.

 Maiora

Maiora autem huius organi vulnera ad cardiam vel curuaturas praesertim inflicta aut per vtrumque parietem penetrantia paucis diebus plerumque fiunt lethalia; in aliis autem partibus debite et caute tractata sanari possunt, aut fistulam externam relinquunt, per quam pars alimentorum effluit. Vulnus repleto ventriculo inflictum citam huius euacuationem emetico leniore excitandam requirit, vt plaga contrahi possit: si e vulnere externo aliqua pars egressa fuerit, mox reducenda est; in vniuersum autem diuturnum ieiunium, viribus interea enematibus nutrientibus sustentatis, absolutissimam quietem et methodum antiphlogisticam strenue adhibendam poscit ventriculus vulneratus.

DCXIV. Tenvis *intestini* laesionem indicant signa generalia (dcxii) et chylus foras prodiens, eo quidem magis flauescens, quo vicinior duodeno est locus laesus. Maiora autem, duodeni praecipue et ieiuni, vulnera febrem simul acutissimam, anxietatem, pallorem, syncopen, sudorem frigidum, pulsum paruum intermittentem, tremulum, mortem denique adferunt, vel saltem symptomata effusionis in abdominis cauum

factae

factae secum vehunt, quae tanto magis extimescenda est, quanto maiore mobilitate gaudet intestinum laesum quantoque plus nutrimenti corpori sic detrahitur, vnde lethalem demum marasmum induci necesse est. Crassum intestinum vulneratum esse praeter communia signa quoque docent excrementa e vulnere exeuntia vel saltem foetorem stercoreum eructantia. In his laesionibus symptomata in vniuersum sunt mitiora, et effluxus faecum per vulnus propter minorem intestini mobilitatem non adeo periculosus est, quae etiam coalitui intestini laesi cum vulnere externo minus obstat. Communis vulnerum intestinorum prognosis ex laesionis situ, magnitudine et directione, tum maxime ex symptomatum vehementia et quantitate effusi pendet. Curatio iam dictam medendi methodum et effusionis in abdominis cauum factae remedia exigit.

DCXV. Vvlnera *mesenterii*, si vasa sanguifera notabilia simul laesa fuerint, haemorrhagiam pro canalis diametro plus minus grauem sanguinisque in caueam ventris effusionem parit. Laesis venis lacteis vel cisterna lumbari chylus

chylus colore candidissimo effluentia notat irreparabiliqe sua iactura marasmum lethalem inducit. Citam vero sub atrocissimis doloribus mortem caussatur neruorum, plexuum praesertim, mesaraicorum vulneratio.

DCXVI. Vvlnera *iecinoris* e signis generalibus (dcxii) dignoscenda, magnam quoque sanguinis in abdomen vel extra vulnus effusionem, cadauerosum corporis adspectum, pulsum lentum, oculorum obscurationem, anxietatem summam, sudores frigidos et mortem denique adducere possunt, eo certiorem et citiorem, quo maior ac vicinior vasorum introitui fuerit laesio. Minora tamen, gibbae potissimum partis vulnera, praecipue vbi illa peritonaeo accreuerit, sanationem admittunt.

DCXVII. Vvlneratae *vesiculae felleae* proprium signum est bilis e vulnere effluens vel in abdomen effusa. Si forte ob praegressam inflammationem concretio cum peritonaeo adfuerit effusionem bilis in imum ventrem praepediens, aegrotus vel sanabitur vel fistula externa remanebit.

DCXVIII. Vvlneri *lienis* vix vllum competit ſignum proprium, niſi grauiſſima atque cito occidens haemorrhagia, quam vix vmquam effugit aegrotus, licet totum viſcus ligatura facta exemtum eſſe legimus.

DCXIX. Cvm duodeno in eo conuenit *pancreas:* quod vulnerari nequit, niſi per alia viſcera transadactum fuerit inſtrumentum laedens. Neque hoc vulnus aliam notam peculiarem habet, quam ſucci ſaliuae analogi effluxum.

DCXX. Vvlnera *renum* et *vreterum*, ob ſanguinis et vrinae effluxum ſemper ſunt periculoſiſſima. Si maior adſit effuſio, aut intra peritonaeum, vbi haec etiam membrana diſſoluta eſt, aut in celluloſo textu, vix et ne vix quidem ſeruari poterit aegrotus. Poſt minora tamen renum vulnera ſuperſtites fuiſſe nouimus.

DCXXI. Vvlnera *veſicae vrinariae* praeter ſigna generalia ſecum vehunt effluxum lotii cruenti, et iſchuriam. Ob vrinae effuſionem in cauum abdominis vel eius infiltrationem in telam celluloſam certe periculoſiſſima; ſanationem tamen

tamen admittit, si effusum situ decliui, incisione aut punctura auferri et cathetere idoneo in vesicam immisso et firmato, parco denique potu noua effusio auerti possit.

DCXXII. Ex allatis patet, sanguinem, alimenta, excrementa, bilem et vrinam, a vulnere in viscere abdominali in ventri cauitatem *effundi* posse. Et primo quidem *sanguis* ex magno trunco, inprimis arterioso, effluens, totam hanc caueam, antequam coagulatio obstet, cito implet, extendit, conditionem laesionis maiorum vasorum et haemorrhagiae internae (DXIX) deinde sequens. Effuso autem e minoris diametri vase sanguine, coagulum sub lentiore effluxu natum, intestinorum gyros leuiter conglutinabit saccumque satis firmum producet, quo sanguis coerceatur, circumscribatur et plane denique supprimatur. Limitata haecce sanguinis effusio cognoscitur e caussa et signis haemorrhagiae internae praegressis, dolore et duritie circumscriptis, centro plus minus fluctuante, sub symptomatum primitiuorum leuamine. Plures foci cruoris effusi adesse possunt, si vel gladius, vel globus e sclopeto missus longiorem viam per abdo-

abdominis cauitatem emensus fuerit vasaque in pluribus locis dissoluerit. Limitata autem sanguinis effusio, quamquam sine aëris accessu per plures dies, quinimo hebdomades absque putredine seruari possit, tandem tamen corrumpitur, irritatione, corrosione et inflammatione viscerum symptomata secundaria creans, quae nonnisi cita liquidi eductione minui possunt. Haec eductio incisione in loco praetumido fluctuante instituta obtinetur. Quod si grauis haemorrhagia fuerit metuenda, paullatim emittatur effusum, ne sanguinis profluuium renascatur. Deinde vero iniectionibus blande detergentibus depuretur vulnus. Effusum cruorem limitatum inconsiderata aegroti transportatione, corporis motu et ipsius massae contentae a lympha transsudante augmento disrumpi contentumque sanguinem per totum ventrem diffundi posse constat. Quo facto pars effusi ponderis vi et musculorum abdominalium actione in peluim minorem descendit. Hoc euenisse docent caussa et signa iam recensita praegressa, doloris ac tensionis in hypogastrium descensus, alui obstipatio, ischuria cum tenesmo et mingendi cupidine, tumore deinde totius abdomi-

dominis, febre, anxietate, gangraena partium internarum accedente. Mortem tunc portas pulſare facile intelligitur. Effuſa *alimenta* et *excrementa* ex (DCXIII. XIV) allatis dignoſcenda, difficilius limitantur, ob minorem tamen elapſi copiam verſus vulnus ſiue anteriorem vel lateralem abdominis partem mouentur. Cognita hac effuſione ob maiorem acrimoniae et gangraenae inde naſciturae metum cito, ſin per vulnus dilatatum effluere nequeat, alienum inciſione facta educendum eſt. *Bilis* ex laeſo vtere vel ductu bilario effuſa mox ingentem abdominis intumeſcentiam creat, aluo pertinaciſſime clauſa, vigiliis, cum anxietate ſumma, pulſu inaequabili, tardo, forte, denique intermittente, aliisque mortis nuntiis accedentibus. Naturam autem, contenta fluida in abdominis cauum effuſa, niſi ingens ſit eorum quantitas, aut mors iam immineat, verſus vulnus externum dirigenti adiuuet Chirurgus, quum mutuus partium contactus, muſculorum abdominalium actione ſuſtentatus loco vulneris muſcularis minuatur. Si effuſi per vulnus effluxus aut huius minore diametro, coarctatione, obliquitate aut intempeſtiua com-

compreſſione externa, aut mutato partis vulneratae ſitu impediatur, ad eum locum, vbi minor datur fibrarum muſcularium actio, ad anteriorem nempe et inferiorem vel lateralem abdominis partem coaceruabitur effuſum: durities et fluctuatio ſimul perceptae locum incidendum indicabunt. Emiſſo fluido, vulnus therapiam in vlcerum, cauum abdominis adientium, pertractatione vberius exponendam poſcit.



SVBSECTIO II.

APOSTEMATA EORVMQVE TRACTATIO.

DCXXIII.

Qvae de Apoſtematibus exponenda ſunt, non ſecus ac vulnera, ſub binis capitibus comprehenduntur, quorum prius *generalem*, alterum *ſpecialem* illorum doctrinam complectitur.

CAPVT I.

APOSTEMATA IN GENERE.

DCXXIV.

Apostema, recentioribus Abſceſſus dictus, nobis *eſt* collectio puris ſeu materiae puri analogae in cauo praeternaturali. Vnde praecipua eluceſcit abſceſſuum differentia: *veri* nimirum, genuinum pus, *ſpurii*, aliud liquidum, pus mentiens, continent.

DCXV.

DCXXV. Qvvm vero pus saepissime quidem inflammationis proles sit, interdum tamen, nulla phlogosi in eo, quo inuenitur, loco praegressa, accumulari possit, alterum nascitur abscessuum discrimen: sunt nempe vel *inflammatorii* vel *metastatici*.

DCXXVI. Commvnissima abscessuum *sedes* est membrana adiposa et cellulosa: rarius alias occupant partes. In illa autem tela vel circumscribitur materia purulenta, vel ex vna cellula in aliam lente proserpit, vel in caua naturalia maiora diffunditur. Hinc tertia abscessuum distinctio in *limitatos* et *illimitatos*. Tum etiam, prout vel in summa cute subsistunt vel altius haerent, in *superficiales* et *profundos* diuiduntur.

DCXXVII. Reliqvas abscessuum differentias suppeditat diuersitas caussae et symptomatum; priore respectu in *simplices* et *complicatos*, posteriore in *benignos* et *malignos* distinguuntur.

Abscessus genuini.

DCXXVIII. Tractationis principium iure meritoque capientes ab abscessibus veris, pri-

mum de inflammatoriis, deinde de metaſtaticis dicemus.

Abſceſſus inflammatorii.

DCXXIX. Abscessvs inflammatorius pro diverſa profunditate diuerſas habet *notas*. Praeter praegreſſa phlogoſeos et ſuppurationis ſigna tumor pallidus vel intenſe ruber, in ambitu durior, in medio mollis, fluctuans, eleuatus, *ſuperficialem* declarat. Verum *profundus* cognoſcitur ex inflammatione vltra ſeptimum diem protracta; febre, tumore, dolore, calore, rubore, tenſione, pulſu nulla eiectione critica facta, imminutis; doloris pulſantis mutatione in grauatiuum; fluctuatione, ſi profunda pus haeret, obſcura, nonniſi exercitatae attentiſſimique Chirurgi pulpae obuia, ſi profundiſſime, ſub expanſione tendinoſa praecipue deliteſcat materia, nullo tactu percipienda, cuius ſigni defectum tunc ſupplere ſolet oedema. *Interni* denique ſigna deſumuntur ex praeuiis ſpecialibus inflammati cuiusdam viſceris ſymptomatibus, febris acutae in lentam tranſitu, horroribus ſaepe redeuntibus, dolore premente obtuſo, ſubſiſtente func-

tione

tione laesa, saepissime quoque oedemate externe sensibili.

DCXXX. In omni abscessu inflammatorio pus in sacco ab inflammata duriori cellulosa efformato inclusum haeret, vnde eius propagatio in cellulas circumiacentes, et aliquatenus quidem ipsa eiusdem resorptio impeditur. Aliqua autem puris portio in media parte inflammata orta, reliquam crudam et sanguinolentam materiem in cellulis et vasis subsistentem soluit, emollit et ita mutat, vt ipsa pars inflammata attenuetur, mollescat, pus album spissum generetur et puri denique exitus, aut solius Naturae aut artis simul subsidiis adhibitis procuretur. Illa operatio *maturatio* dici consueuit, quae omissa methodo antiphlogistica, quamprimum hanc resoluendae inflammationi imparem esse adparet, promouenda est externis remediis tepidis aquosis, mucilaginosis, pinguibus leniter acribus, praecipue in partibus glandulosis difficilius suppurantibus, sub forma cataplasmatis haud grauantis, saepius mutandi, vel emplastri, admouendis, locum deinde tectum relinquendo,

 donec

donec inflammatum omne, vel ſaltem maximam partem, in pus mutatum fuerit.

DCXXXI. Pvs ab inflammatione praegreſſa elaboratum non amplius humoribus noſtris aſſimilari neque iis absque magno detrimento admiſceri poteſt, ſed e corpore reiiciendum eſt. Diutius autem in abſceſſu relictum, tenue fit et acre, putreſcit, copia augetur, vicina corrodit, conſumit, mole et acrimonia ſua cuniculos format, in celluloſa proſerpit, vulnera grauia, fiſtulas cariesque creat, aut diſſipata parte tenuiore tumores duros, maxime circa glandulas, ſtruit, multorum atque grauiſſimorum morborum origo. Deinde quoque ob maiorem attenuationem et imminutum inflammationis ambitum, oſcula abſorbentia ſubit inque maſſam humorum vehitur, quam inquinat, varia grauia et inſanabilia ſaepe mala inducturum, niſi forte per aluum, vrinam, cutanea ſpiracula, metaſtaſin, euacuetur. Vberior enarratio cauſſarum, ſignorum, remediorum talis abſorptionis ad vlcerum hiſtoriam pertinet. Ipſa autem puris ex abſceſſu eductio, integumentorum diſſolutione praeſtanda, vel Naturae viribus committitur vel artis auxilia requirit.

DCXXXII.

DCXXXII. Abscessus inflammatorii *disruptio spontanea* exſpectanda eſt, quoties ille mole minor, ſuperficialis et lente exortus, neque corroſionis periculum metuendum eſt, ſed cicatrix ex inciſione naſcens turpem deformitatem inductura foret. Applicatis tunc maturantibus (dcxxx) cutis lente attenuatur, molleſcit, rumpitur, pus contentum effundit, portione celluloſae corruptae ſaepe ſimul ſeparata. Quo facto diſſolutio vlceris ſimplicis conditionem ſequitur.

DCXXXIII. Abscessus inflammatorius in vniuerſum *arte euacuandus* non eſt, niſi plane maturuerit: feſtinante enim inciſione dolores augentur curatioque retardatur. Poſterius maxime valet de glandularum et tumorum cyſticorum ſuppuratione. At vero ante perfectam maturationem abſceſſus aperiendus erit, quoties cauis maioribus, inteſtino recto, articulo, oſſi denique valde vicinus periculoſam minetur corroſionem, vel preſſione ſua ſanguinis circulum aut reſpirationem impediat. Perficitur autem ipſa apertura arte praeſtanda vel inciſione vel cauſtico.

DCXXXIV. Apostematis cuiuslibet incisionem *Oncotomiam* salutarunt recentiores. Haec in abscessu inflammatorio aperiendo multiplicem prae caustici adplicatione praerogatiuam habet. Sequente autem fit encheiresi. Si non adeo profundus sit abscessus incidendus, pure in adsurgentem tumorem presso scalpellum in eminentiorem, molliorem et decliuiorem partem intruditur, donec exiens pus instrumentum penetrasse probet; deinde eleuando cultellum vulnus dilatatur, vt pus leni pressione commode effluere queat. In profundorum autem abscessuum incisione, praecipue cum cellulosae superiacentis oedemate, diuisis integumentis, num fluctuatio distinctior adsit, explorandum, quo facto scalpellum lente et caute ad puris focum demittatur, attentissimo semper symptomatum praegressorum, partium vicinarum, vasorum praecipue et neruorum respectu habito. Profundissimos denique abscessus, incisis integumentis aut expansione tendinea superiacente, saepe sua sponte breui tempore rumpi contentumque pus effundere posse compertum est. Directio incisionis in vniuersum quidem longitudinem

corpo-

corporis ſequitur, in nonnullis tamen locis rugae cutis, fibrae muſculares ſubiacentes ac hiatus labiorum, puris effluxui fauens, ſpecialem cultri ductum dirigunt. Rariſſime inciſione cruciata aut ablatione cutis in abſceſſibus inflammatoriis incidendis opus eſt.

DCXXXV. Altera abſceſſum aperiendi ratio, *cauſtici* adplicatio, magis dolorifica, lentior, inque profundis apoſtematibus minus ſufficiens minusque tuta eſt quam prior (dcxxxiv); in abſceſſibus tamen glanduloſis, lente matureſcentibus praeſertim, inque illis qui propter reſorptionis periculum magnum poſcunt hiatum, inciſioni praeferenda eſt, ſicut etiam aegrotis ferrum horrentibus interdum aliquid dare prudentia iubet. Cauſtico autem ad locum fluctuantem, ſub debitis cautelis, ne diffluat, integumentis impoſito, breui tempore eſchara his inuretur, qua ad methodum emolientem ſoluta pus effluet.

Abſceſſus metaſtatici.

DCXXXVI. Abscessus metaſtaticus *eſt* tumor a collectione puris in quadam parte ſine praeuia huius inflammatione, ſed ex ſola materiae

purulentae ſecretione natus. Aut migratione puris ex vno loco in alium, aut eiusdem aliusue materiae morboſae in morbo quodam ad partem aliquam depoſitione oritur. Collectionem enim purulentam breuiſſimo tempore in ſanguinem reſorberi et per emunctoria eliminari vel in ſingulares partes internas externasue deponi poſſe, multiplici obſeruatione euictum eſt. Longe frequentior tamen puris migratio in abſceſſibus criticis, quam veris inflammatoriis, locum habet. Priores maxime in morbis acutis, putridis et exanthematicis vel poſt eosdem, interdum quoque in chronicis, occurrunt. Quum non ſemper verum pus in his abſceſſibus inueniatur, patet hos quoque non omnes eſſe genuinos; vi lactei et lymphatici ſaltem huc referri poſſe videntur. At vero nullum in metaſtatico abſceſſu liquidum inuenitur, quod non induerit formam purulentiae. Tale apoſtema *indicat* tumor ſubito ortus, cuti fere concolor, mollis, non ſolum in acumine, ſi ſuperficialis fuerit, vt inflammatorius, ſed vbique fluctuans nulla vel parua inflammatione praeuia, verum alio abſceſſu, vel morbo acuto aut chronico praegreſſo, progna-

tus,

tus. *Sedem* communiſſimam praebet totus telae celluloſae ambitus; haud infrequenter tamen quoque glandulae parotides, maxillares, axillares, inguinales, genua, hepar denique vt et pulmo migrantem materiem recipiunt. In celluloſa ob inflammationis defectum difficilius limitatur facillimeque reſorbetur pus effuſum, et tunc conditionem abſceſſus inflammatorii (DCXXXI) ſequitur. Omnis autem abſceſſus metaſtaticus ob reſorptionis metum citam puris emiſſionem, ſcalpellis aut, ad inflammationem maioremque hiatum inducendum, cauſtici impoſiti ope praeſtandam deſiderat. In certis tamen tumoribus metaſtaticis intutum eſt perfectam puris coctionem exſpectare, ſiquidem duriſſimus ſaepe tumor ſubito euaneſcere ſolet, irreparabili aegroti damno. Vnde ſuppurantium emollientium loco veſicantia cum fructu adhibita ſunt. Rei ambiguae lucem adfundet fida epidemiae obſeruatio.

Abſceſſus ſpurii.

DCXXXVII. Ad apoſtemata ſpuria, genuinum purumque pus non continentia pertinet

nucle-

nucleatum, *ſanguineum*, *lymphaticum*, *lacteum*, *vrinoſum*, *gangraenoſum* et *peſtilentiale*.

Abſceſſus nucleatus.

DCXXXVIII. Abscessvs nucleatus ſeu *Furunculus* eſt tuberculum inflammatorium ſuperficiale, in ipſa cute ex folliculo ſeu glandula ſubcutanea exortum, durum, intenſe rubens, dolentiſſimum, in acumine prominens, raro magnitudinem oui columbini ſuperans, ſaepe multis in locis ſimul vel ſucceſſiue increſcens, raro reſoluendum, tardius quam alii abſceſſus inflammatione natiatureſcens, quo facto pus ſanguinolentum ex vno vel pluribus foraminulis prorumpit et denique nucleus purulentus, vorticem fibroſum fere referens, in furunculo ſemper obuius, egreditur et vlcus tunc facile mundationem conſolidationemque admittit. Solitarii hi abſceſſus in locis celluloſa abundantibus praeter dolorem damnum non inferunt; copioſi vero, poſt grauem morbum aut in corpore ſenili vel cacochymico, prouenientes, oſſibus, articulis, ano, ſcroto, bulbo oculi, vicini, mali ominis ſunt, neque niſi congrua therapia interna externae iuncta debellandi.

Ab-

Abscessus sanguineus.

DCXXXIX. Abscessvs sanguineus, contusionis siue alius violentiae externae, rupturae vasis cuiusdam, aneurysmatis, varicis, *sequela*, communem morbi, ex quo pendet, *medelam* admittit, Talis abscessus in neonati capite saepe occurrit, a peluis resistentia sub partu laborioso ortus, circulo suo duriore marginem ossis dissoluti vel deficientis mentiens, cui, nisi ad methodum (dlxii) expositam resolui possit, tempestiua incisione medendum est, ne corruptio ossis subnascatur.

Abscessus lymphaticus.

DCXL. Abscessvs lymphaticus *est* accumulatio lymphae in textu celluloso, circumscripta, post violentiam externam dudum praegressam vel morbum exanthematicum, in corpore cachectico debili, circa dorsum, lumbos, nates, femora, rarius ad bracchia pectusue, lente nata. Morbus iste, sua natura semper grauis et periculosus, in principio *cognoscitur* tumore paruo, plano, rotundo, haud decolore, indolente, elastico, fluctuante, impressi digiti vestigium non retinente,

nente. Crefcit deinde in molem capitis magnitudinem faepe excedentem, fuperueniente dolore et colore cutis ex flauo rubefcente. Haec denique eroditur lymphamque effundit purulentam, inodoram, collabitur tumor et remanet vlcus pallidum, aquofum, finuofum, perpetuo magnam liquidi tenis purulenti quantitatem plorans, quod plerumque intra anni fpatium exhaurit marasmoque exftinguit aegrotum. *Caussa* huius mali proxima eft perennis lymphae transfudatio, vix e vafis lymphatici maioris ruptura, fed potius ex omnis fyftematis vaforum iftorum vel fimul fanguiferorum compaginis labe locali circa abfceffum, deriuanda. *Curationem* quod attinet tumorem lymphaticum claufum nulla arte refolui poffe; emollientibus et compreffione tentatum velocius increfcere ac magis dolere; apertum porro, fuppurantibus tractatum copiofius fluidum exhibere; adftringentibus denique adhibitis tumorem in peripheria augeri, experientia docet. Primum huius morbi ftadium citam aperturam vfumque adftringentium, antifepricorum, balfamicorum exigere videtur. In fecundo autem cellulofae telae in tota peripheria

pheria ablatione tumorem in vlcus benignum mutare mihi contigit. In tertio denique idem forte tentandum foret; alia ſaltem remedia hic ſpem fallunt.

Abſceſſus lacteus.

DCXLI. Abscessvs lacteus *oriri* poteſt in puerperis aut lactantibus, vel a ſola lactis abundantia, mammas ſaepe mirum in modum diſtendente; vel ab impedita eius euacuatione ob alumni defectum aut debilitatem, papillae depreſſionem, vlcerationem aut defectum, cohibitam denique lactationem, aut morbum in mamma vel alia corporis parte praegreſſum. In ipſa mamma nimia lactis a qualicumque cauſſa congeſtio primo *tumorem* creat, inaequabilem, nodoſum, ſerpentarium, a ductibus lactiferis extenſis, verſus axillam praecipue. Subſiſtente cauſſa accedit dolor, inflammatio latius extenſa, huiusque in abſceſſum tranſitus ſignis (dcxxx) recenſitis dignoſcendus. *Auertitur* talis abſceſſus tempeſtiua lactis eductione, ſuctrice experta, alumno, catulo, vitro, antlia, huic ſcopo accommodata, (cvi) inſtituenda: ſubiuncta diaeta tenui auxiliisque phlogoſi contrariis, lochia

pro-

prouocantibus. Abſceſſus lacteus in mamma iam formatus communem abſceſſuum *curationem* admittit.

DCXLII. Qvod *metaſtaſin lacteam*, huius nempe liquidi in aliam corporis partem migrationem attinet, puerperis poſt lactationem declinatam aut lac praua diaeta, refrigerio, animi pathemate, repercuſſum haud infrequentem, aut apoſtema aut oedema lacteum inde formatur. Depoſitiones lacteae in cauitates maiores, viſcera, articulos, varias excitant turbas, tumores praecipue, quorum cognitio et curatio ex analogia facile eruitur. *Oedema* vero lacteum in textu celluloſo haerens, tumore calente, dolente, renitente, foueam impreſſi digiti non retinente, a ſuperioribus ad inferiora deſcendente, hinc ab oedemate hydropico omnimode diſcrepante, dignoſcendum, praeueniri poteſt lacte per mammas, vterum, aluum, vrinam, ſudorem educto. Praeſens autem depoſiti reſorptionem ac eliminationem deſiderat. Priori ſcopo lixiuium alcalinum cum lacte et ſapone mixtum, tepide adplicandum egregie conducit: poſteriori laxantia, aliaque (DCXLII) laudata inſeruiunt.

Quod-

Quodſi his inefficacibus fluctuatio obſeruetur, ad inciſionem recurrendum eſt.

Abſceſſus vrinoſus.

DCXLIV. Abscessvs vrinoſus eſt tumor ab effuſo in telam celluloſam lotio poſt rupturam, vulnus vel aliam diſſolutionem viarum vrinife- rarum ortus, fluctuans, in perinaeo, natibus ſcroto, abdomine, obuius, quo inciſo vel rupto vrina effluit. Praeter loci fluctuantis inciſionem therapiam fiſtulae vrinariae inferius pertractan- dam deſiderat.

Abſceſſus gangrenaſcens.

DCXLV. Abscessvs gangraenaſcens, *Carbunculus* ſeu Anthrax dictus, ſeſe manifeſtat tuberculo duro, arido, circumſcripto, furuncu- lum magnitudine ſuperante, admodum dolente, in cuius ambitu cito et late diffunditur rubor et dolor, adparentibus in ſuperficie liuidis, nigri- cantibusque puſtulis acrem ſaniem continentibus, breui in gangraenam tranſeuntibus. Figura tu- moris tunc in ellipticam mutata, epidermis ſece- dit: rupto ſeu aperto tumore ichor tenuis, ni- gricans effluit et omnia gangraenoſa cum pro-

ſundo hiatu aperiuntur. Malum, in noſtris regionibus infrequens, gangraenoſi ſeparatione acredinisque cauſticae per carbunculum eliminatione curatur, quo ſcopo inciſiones profundae, ſcarifationes liberiores, validiſſima ſuppurantia êt antiſeptica conueniunt.

Abſceſſus peſtilentialis.

DCXLVI. Abscessvs ſeu Carbunculus peſtilentialis a morboſa materie in febribus peſtilentibus ad telam celluloſam vel glandulam delata exoritur. Lati, ſuppurantes in celluloſa reſidentés, critici; in partibus glanduloſis, deteriores; reſolutione ſubſidentes, lethales. Curationem cum Anthrace communem recipiunt.



CAPVT

CAPVT II.

ABSCESSVS IN SPECIE.

DCXLVII.

Specialem, in curatione ſaltem, differentiam abſceſſuum conſtituit diuerſa eorum ſedes. Sic abſceſſus in *encephalo*, *ſinu frontali*, *maxilla alueolari*, *orbita*, *oculo*, *gena*, *parotide*, *fauce*, [illegible] *pectore*, *hepate*, *glandula inguinali* vel *axillari* ſingularem ſibi vindicant pertractationem.

Abſceſſus encephali.

DCXLVIII. Abscessvs intra thecam cranii a violentia praegreſſa, inflammatione, metaſtaſi oriundus, ſymptomatibus compreſſi aut irritati cerebri dignoſcendus, attentiſſimam ſtatus praeuii et praeſentis diiudicationem requirit. Vbi admouendo trepano locus indicatur, hac ſola operatione, et ſi profundius haereat pus, ipſius cerebri inciſione aegrotus ſeruari poterit.

Abſceſſus in ſinu frontali.

DCXLIX. Abscessvs in ſinu frontali ab inflammatione membranae ſinum inueſtientis, foraminum pituitam in nares transmittentium ob-

ſtructione, contuſione, muco craſſiore, vlceribus, polypo aliaue cauſſa *ortus*, diu quidem latere, grauia tamen denique mala producere poteſt. *Diagnoſis* ſemper eſt ambigua; dolore tamen noſcitur grauatiuo in fronte, puris ex nare effluxu, tumore palpebrae ſuperioris, ſuccedente laterum ſinus diſtenſione, carie et diſſolutione oſſis aut externa, quae ſalutarem puris effluxum parit, aut, quod ob tabulae interioris minorem craſſitiem ſaepius accidit, interna, periculoſiſſimam puris intra cranium effuſionem ſecum vehente. *Curatio*, niſi per naſum vel etiam corroſionem externam puri exitus pateat, trepanationem deſiderat, vlcerisque tractationem inſequentem mox exponendam. Oſſe ad ſinum frontalem perforato ob muci effluxum difficillime hiatus occluditur, quae difficultas vix membranae ſinum inueſtientis deſtructione, ſecurius et certius, aut foraminis naturalis in caueam patuli dilatatione aut oſſis perforatione, nouam pituitae viam parante, auferri poterit.

Abſceſſus in orbitae pinguedine.

DCL. Abscessvs in orbita, inflammationis partes pone oculum occupantis *proles*, intolerabiles

biles dolores oculique prominentiam creans, tempestiua incisione in ea, quae fluctuationem monstrat, parte instituenda et reliqua vlceris apostematosi tractatione *curatur*.

Vnguis.

DCLI. VNGVIS *est* collectio materiae purulentae inter lamellas corneae pellucidae ab inflammatione vel metastasi ortum ducens. *Sedem* effuso puri praebent aut exteriores aut interiores laminulae, mox superius, mox versus mediam partem, saepissime ad circulum corneae inferiorem: *figura* aemulatur modo vnguium in digitis segmenta, modo lunulam in vnguis radice obuiam, modo lunam cornutam, maxime si exigua puris quantitas adsit. *Noscitur* morbus macula alba vel flaua, eo magis visum turbante, quo magis pupillam obtegit, cornea transparente, laeui, polita, sine superficiei abscessu aut vlceratione, iride ac pupilla, si lateraliter ad latus maculae oppositae respiciatur, conspicuis. Si valde superficialis fuerit vnguis, vesiculam externam, si inter laminas interiores haereat pus, eminentiam corneae internam inducere valet. *Prognosis* huius morbi maxime

ex quantitate et qualitate puris effusi pendet. Paucum nempe et benignum subinde Natura medicatrice vel arte adiutrice resoluitur; abundans vero et acre, quale metastasis adferre solet, erodit lamellas, vlcus, si anteriores, Hypopion, si posteriores, fistulam, si omnes exeserit, inducens. Pure condensato aut exsiccato Albugo seu Leucoma nascitur. Quo amplior denique et profundior centroque corneae propior est Vnguis, eo difficilior erit curatio saepeque visus immedicabilem abolitionem parit. Therapia Vnguis desiderat congestionis ad oculos moderationem, reuulsionem, deriuationem (DLXXI), et effusi resolutionem. Quae si obtineri nequeat, abscessus in loco decliuiore a corneae centro remoto, cautissime incidendus, ac denique vulnusculum ad laeuem, et quantum licet, diaphanam cicatricem deducendum est.

Hypopion.

DCLII. HYPOPION *est* puris in camera oculi inter corneam iridem et lentem collectio, a praegresso abscessu inflammatorio corneae, iridis, vueae, circuli seu coronae ciliaris aut per metastin orta. *Cognoscitur* e caussa praegres

gressa, pure ab initio albido deinde flauescente, ex inferiore camerae parte sensim adscendente, per pupillam in cameram posteriorem progrediente indeque pupillam offuscante, totam denique cameram implente, iridem et pupillam obtegente, sub segniore, si obseruari possit, motu pupillae, visus debilitate, obscuratione, abolitione, cornea transparente vel illaesa, vel nebulosa, vel denique in ellipsin prominentem efformata, saepissime praeuia aut comitante graui ophthalmia. Successiua hypopii *symptomata* esse possunt corneae corrosio, vlcera, fistulae, vueae procidentia, Proptosis; porro iris ab ligamento ciliari auelli motumque tremulum subsultorium, qui Hippus dicitur, retinere, aut dissipato vel euacuato pure cum interna corneae superficie concrescere potest, quod Synechia audit: tota denique oculi structura externa corruptioni et destructioni ex hac caussa obnoxia est. Ad leuiores hypopii sequelas pertinent iridis obscurior color, corneae macula seu cicatricula remanens non molesta, nisi nimis extensa vel pupillae e directo opposita fuerit, et visus aliquantum debilior. Incerta est huius mali *prognosis*:

ſibi commiſſum ſaepiſſime coecitatem inſanabilem inducit; tempeſtiue et rite tractatum, viſum nonnumquam illaeſum ſupereſſe ſinit. Communis Hypopio ac Vngui competit *Chirurgia* (DCLI) in vniuerſum tamen ſollertiſſimam diuerſoque morbi gradui adcommodatam. Inciſio apice lanceolae ad inferiorem corneae transparentis partem intruſo perficitur. Apertura, ſi pus denuo collectum fuerit, ſtylo plano iterum renouanda eſt: pus ſpiſſum vero aqua iniecta diluendum.

Abſceſſus ad canthum oculi internum.

DCLIII. Abscessvs in oculi cantho interno ſignis generalibus dignoſcendus, ſi ſentiri poſſit fluctuatio, aperiendus, vt viarum lacrymalium corroſio auertatur.

Abſceſſus ſinus maxillaris.

DCLIV. Abcessvs ſinus maxillaris a praegreſſa inflammatione membranae ſinum inueſtientis, obſtructione aperturae naſalis et inde impedito muci effluxu, dente molari carioſo, abſceſſu gingiuae, contuſione et generalibus phlogoſeos cauſſis *oriri* poteſt. *Noſcitur* inflammatio ſinus maxillaris calore et dolore pulſante lateris

teris faciei ad orbitam ſe extendentē, febri ſtipata, quibus ſequitur dolor obtuſus profundus, interdum ſub puris emunctione aut eius e naſo effluxu, ſi aeger ſano lateri incumbat; genarum preſſione haud dolorifica. Abſceſſus tunc ſibi relictus oſſis maxillaris intumeſcentiam ſuccedentemque corroſionem, fiſtulas in ore, gena, naſo, orbita, ac alia inſanabilia ſaepe mala inducit, quae omnia tempeſtiua puris emiſſione *auerti* poſſunt. Quae obtinetur tertii dentis molaris, cuius radices mediam ac inferiorem caui maxillaris partem reſpicere vel adire ſolent, aut alius carioſi, dolentis, decoloris, aut plurium ſimul, euulſione, et niſi dente extracto aditus in ſinum iam pateat, fundi alueolaris perforatione, quo facto pus contentum cum muco naturali non confundendum effluit. Facta vero apertura, turunda, chorda, vel cannula ſub debitis, ne in cauum illabatur, cautelis peruia ſeruetur. Iniectio in aperturam ſinus maxillaris naturalem, naſalem nempe, ope ſiphonis tubulo curuato inſtructi inſtituenda, ſcopo plane ſatisfacere non videtur.

Abſceſſus alii maxillares.

DCLV. Ad gingiuas quoque a morbo his proprio vel generali, ſaepius a tartaro inter dentes et gingiuas, ſaepiſſime autem a dentis ipſius carie apoſtema naſci poteſt, puris eductione curandum, vnde frequentiſſime dens laeſus vel ſuſpectus euellendus erit.

Abſceſſus ad genas.

DCLVI. Abscessvs ad genas aut oris cauo vicinus, fluctuationem exhibens, inciſionem exigit, propter foedae cicatricis defectum et faciliorem ſanationem intus inſtituendam.

Abſceſſus glandulae parotidis.

DCLVII. Maior parotidis abſceſſus ob partium adiacentium preſſionem ſaepe ſurditatem deglutionis impedimentum, ſoporem, applexiam, ſuffocationis periculum inducens, cito aperiendus eſt: reliqua tractatio nihil ſingularis habet.

Abſceſſus faucium.

DCLVIII. Abscessvs faucium inflammatorius vel metaſtaticus, deglutitionem aut reſpirationem aut vtramque notabiliter impediens, ex

morbo

morbo et ſymptomatibus diiudicandus, inciſionem, haud facile negotio perficiendam, in loco eleuatiore, cultri obtecti miniſterio inſtituendam, requirit. Rupto tonſillarum apoſtemate per tubam Euſtachianam ad cauum tympani pus adſcendere poſſe, et per aurem externam exitum ſibi parare aut immedicabiles oſſium corroſiones inducere conſtat.

Empyema.

DCLIX. Empyema *eſt* puris in cauum pleurae effuſio, ex abſceſſu pulmonali per huius viſceris ſuperficiem, vel externo, per pleuram in dictam caueam lapſi. *Noſcitur* inflammationis, ſuppurationis, vomicae pulmonalis praegreſſae ſignis, vnde Empyema a ſanguine in cauum thoracis effuſo aque hydrothorace diſtinguitur; cum quibus communes habet effuſionis thoracicae notas, interque reliquas oedematoſum telae celluloſae in latere adfecto tumorem. Magna puris in pectore collectio haud tempeſtiue cognita neque educta, inter coſtas tandem eruptionem moliri tumoremque extus conſpicuum, diſtincte fluctuantem creare poteſt: qui tumor, ſi ingens fuerit puris moles, cordis arteriarumque

que pulſatione particeps fieri, hinc Aneurysma mentiri valet, niſi ſcrupuloſiſſimo examine vera morbi natura eruatur. Empyematis *chirurgia* verſatur in pure educendo, quod paracentheſi thoracis alibi (CCXCIX) expoſita, in loco electo vel ab intumeſcentia indicato ſub cautelis in hydro thoracis (CCXCVII) et vulnerum pectoris (DLXXXVIII) hiſtoria recenſitis, inſtituenda praeſtat.

Abſceſſus hepatis.

DCLX. Abscessvs poſt gibbae iecinoris partis inflammationem exortus, ad marginem coſtarum ſpuriarum interdum tumorem creat fluctuantem, in circumferentia duriorem, vnde a veſicula fellea expanſa diſtinguitur. Hic inciſione *curatur*, quum phlogoſis praeuia coalitum hepatis cum peritonaeo relinquere ſoleat. Concauam vero huius viſceris partem occupans apoſtema cognitu multo difficilius, per ventriculum aut colon inteſtinum pus ſuum effundere poſſe conſtat.

Bubones ſuppurati.

DCLXI. Bvbones glandularum inguinalium venerei ſuperiores in ipſo abdominis cum crure angulo

angulo ſitas infeſtant, e morbo extremitatis inferioris oborti, glandulas inferius poſitas tenent. Vtrique, morbi ortu, decurſu et ſymptomatibus a ſe inuicem dignoſcendi, debito cauſſae morbificae reſpectu habito, inflammationem et abſceſſuum glandularum therapiam poſcunt.



SVB-

SVBSECTIO III.

VLCERA EORVMQVE MEDELA.

DCLXII.

VLCERVM perinde ac vulnerum et apoſtematum expoſitionem bipartitam vult inſtituti ratio: paucis itaque de vlceribus in vniuerſum praemiſſis, ſingularia perluſtrabimus.

CAPVT I.

VLCERA IN VNIVERSVM.

DCLXIII.

VLCVS in genere *eſt* continui ſolutio in partibus organicis lente exorta, pus, ichorem aut ſaniem quamcumque fundens.

DCLXIV. VLCERVM *cauſſae* communes ſunt vulnera ſuppurata, abſceſſus rupti vel aperti, acria interna vel externa varia, in corpore genita vel ei ingeſta aut adplicata, ad corrodendum partes ideonea.

DCLXV.

DCLXV. Vlcervm *ſedes prognoſis* et *therapia* diuerſiſſima eſt, neque niſi ex ſpeciali pertractatione eruitur.

DCLXVI. Vlcera in vniuerſum *diuiduntur* in ſimplicia et complicata.

Vlcus ſimplex.

DCLXVII. Vlcvs ſimplex *cognoſcitur* ex ſede in textu celluloſo, ſuperficiali; pure laudabili, coloris nimirum ex albo flaueſcentis, ſpiſſi, pultis mollioris conſiſtentiam habente, inodoro, blando, haud copioſo; margine molli, vix aut ne vix quidem inflammato; fundo aequali, coloris ex albo rubeſcentis, parum dolente. In corpore ſano debite tractatum haud difficulter ſanatur; in cachectico autem praua medicatione vexatum variis complicationibus anſam dare poteſt. *Curatio* in eo conſiſtit, vt linteo carpto ſicco obtegatur vlcus, margines, ne illud adhaereſcat, pingui quodam blando illinantur, emplaſtrum adhaeſiuum, ne decidant adplicata, ſuperiniiciatur, leuis compreſſio faſciae circulari ſeu contentiuae modice adſtrictae ope accedat, incauta puris abſterſio motusque partis adfectae

adfectae aerisque, frigidi praesertim, accessus vitetur, rara denique deligatio ad perfectam consolidationem continuetur.

Vlcus complicatum.

DCLXVIII. Praecipvae vlcerum complicationes ortum trahunt ex acrimonia interna, varia caussa externa, vetustate, ambitu, figura, superficie interna, suppuratione, partium singularium adfectione. Quae omnia in sequentibus sigillatim exponentur.



CAPVT

CAPVT II.

VLCERA IN SPECIE.

DCLXIX.

SPECIALEM vlcerum differentiam, in curatione maxime respiciendam, constituit diuersa complicatio (DCLXVIII).

Vlcera cum acrimonia interna.

DCLXX. CAVSSAE internae vlcus inducentes vel sustinentes, aut deterioris indolis reddentes, in communi humorum labe sunt quaerendae. Vnde vlcera dantur *scorbutica*, *scrophulosa*, *racchitica*, *cancrosa*, *venerea*, *leporosa*, *anginosa*, *aphthosa* et alia mox recensenda.

Vlcera scorbutica.

DCLXXI. SCORBVTICORVM vlcera *cognoscuntur* ex perspecta caussa, humorum nempe diathesi, maculas marmorei coloris, in cruribus maxime, stomacacen, luridum faciei colorem, lassitudinem, genuum immobilitatem cet. inducente; foetore singulari; circumferentia vt plurimum ex atro rubescente; fundo spongioso, facile cruentato, gingiuarum statum aemulante;

raro in oſſa ſubiacentia progreſſu; indole in genitalibus quidem cum vlceratione venerea ſatis conueniente, in vniuerſum tamen hydrargyri vſu exaſperata. *Therapia* itaque duplex eſt: et morbus generalis, et vlcera ſuam poſcunt medelam. Haec externe tractantur remediis antiſepticis, inprimis ſpiritu vitrioli, pro diuerſa fungoſitate plus minus diluto: vnguenta et pinguia quaecumque hic nocent. Lenis ſimul adhibeatur compreſſio. Vnde patet, quid faciendum ſit in ſcorbutica gingiuarum adfectione. Probe tamen meminerit Chirurgus, a dentitione altera interdum naſci poſſe corruptionem gingiuarum, vix vmquam impune acidis tentandam, ſed ſimplici dentis emortui ablatione ſolitisque balſamicis curandam.

Vlcera ſcrophuloſa.

DCLXXII. Vlcera ſcrophuloſa cognoſcuntur e ſignis ſcrophularum generalibus (ccxix) et inflammatione praegreſſis; vlcera ipſa ſaepiſſime ſunt ſordida, lardacea, ſerpentia, lympham tenuem acrem copioſam fundunt, marginesque habent tumidos, duros, pallidos: digitos manus pedisue non raro inuadunt, neque oſſibus parcunt,

cunt, pessimam monstrant idolem, in carcinomatosam proniora. Taediosissima horum vlcerum *sanatio* communem scrophularum therapiam (CCXXII) requirit: conducit praeterea lixiuium alcalinum ad frequentem vlceris elutionem, cinis spongiae vel Nucis iuglandis ad inspersionem, decoctum corticis Peruuiani, Cicutae, Scrophulariae, aqua marina, interne et externe adhibita, deriuantibus et reuellentibus in subsidium simul tractis.

Vlcera racchitica.

DCLXXIII. VLCERA racchitica praecipue ossa infestant, vnde cariei vel paedarthrocaces poscunt chirurgiam, haud neglecto simul virus racchitici (CCCXCII) respectu. Neque hic inutilia sunt externa scrophulosorum vlcerum (DCLXXII) remedia.

Vlcera cancrosa.

DCLXXIV. VLCVS cancrosum, a Carcinomate aperto genuino, scirrhi sequela, (CCCXXXIII) distinguendum, tam facie tetra quam indole immani illi tamen satis analogum, vtpote sordidum, cadauerosi foetoris, labiis duris, reuer-

 sis,

ſis, ichore acri, ambitu magis magisque protracto, dolore lancinante, venis vicinis varicoſis, notatum, duplicem adgnoſcit originem. Aliud nempe fungoſum in variis corporis partibus a maculis nigricantibus, verrucis, varicibus natales trahit, in mirandam molem breui increſcens: aliud neruoſas preacipue partes, mammarum inprimis papillas, labia, naſum, oculos, genitalia inuadit, interdum eſchara craſſa, cruſtoſa, ſicca obtectum, ſubinde copioſum ichorem aque leui attractu ſanguinem fundens, dolore lancinante, carnium duritie, ſcabritie et pertinaci immedicabilitate ſeſe prodens, et veri carcinomatis prognoſin (CCCXXXVI) ſequens. Ad poſterius genus quoque referendum eſt vlcus cancroſum ſcrotale, caminorum repurgatoribus in Anglia familiare, ex fuligine ſcroti plicis adhaereſcente naſcens, labem inſanabilem in partes genitales inque ipſa imi ventris viſcera transmittens. Remedia alibi (CCCXXXVIII) expoſita hic quoque laudantur, ſpem tamen, proh dolor! ſaepiſſime fallunt. Vnde plerumque neceſſarium eſt, totum vlcus ſub allatis (CCCXXXIX) cautelis exſcindere, quod praeprimis tempeſtiue fieri debet in

vlcere

vlcere cancroſo ſcrotali. Quodſi ne cultro quidem concedatur locus, mali quietem ſymptomatumque lenimen (CCCXL) procurare ſtudeat Chirurgus.

Vlcera venerea.

DCLXXV. Vlcera venerea diſtinguenda ſunt in primitiua et conſequutiua. *Primitiua* dicimus, quae immediate ex contagio in corpus recepto oriuntur, cum ſanguine deinde virus communicantia. Haec maxime in genitatibus, et circa papillas mammarum, raro in ore occurrunt: interdum leuius vulnuſculum in digito vel manu, intimo infecti corporis contactui expoſitum, in tale vlcus mutatur. Cognoſcitur vlceratio primitiua venerea ex ſede ſuſpecta; puſtula praeuia; circulo rubro, eleuato, ſicco; pure ichoroſo; fundo impuro, ambitu increſcente; communium vlceris ſimplicis remediorum inſufficientia; quibus certitudinem addit declarata mali cauſſa, impurus nempe contactus praegreſſus. Satis facile quidem hydrargyro extus adplicato cedunt haec vlcera, at vero infida eſt curatio, quae efficaciſſimo eiusdem antidoti vſu interno deſtituitur. Quid? quod plerumque

praeſtat, vlceribus forinſecus nihil quidquam ſpecifici admouere, aquc internis auxiliis ſeriorem quidem, at tutiorem exſpectare ſanationem. Vlcera venerea *conſecutiua* ſunt illa, quae virus humoribus inhaerens cumque illis in aliquam partem delatum creat. His ſedem praebent genitalia, textus adipoſus, et compages oſſea carnibus minus tecta, vti cranii, naſi, palati oſſa, clauiculae, humeri, tibiae. In oſſibus tamen non ſolum cariem, verum etiam dolores nocturnos rodentes, exoſtoſes, tophos et gummata producit hoc miasma. Vnde patet vlcera venerea conſequutiua facili negotio cognoſci tum ex dicta eorum conditione, cui in nonnullis accenſendus eſt foetor ſingularis teterrimus et ichor caſeoſus, tum maxime ex aliis ſymptomatibus venereis concomitantibus, vel ſaltem praegreſſis, et cauſſa declarata. Prono hinc alueo fluit therapiam horum vlcerum praecipue conſiſtere in miasmatis exſtinctione, omnium tutisſime mercurialibus, vſu interno vel frictionum ſpecie in humores transmiſſis, obtinenda. Neque inutile eſt ipſis vlceribus, ſi valde impura et refractaria fuerint, admouere hydrargyrum. Quo

magis

magis autem vlcera faucium venerea tonſillarum et vuulae deperditionem minantur, eo citius tum generalibus, tum localibus remediis vlteriori corruptionis progreſſui occurrendum eſt.

Vlcera ex hydrargyroſi.

DCLXXVI. Cvm vlceribus venereis non confundenda ſunt illa, quae ex ſeueriore ſaliuatione, hydrargyro excitata, ortum trahunt. His frequenti oris collutione vel iniectione, balſamicorum, aerugini nuptorum adplicatione medendum eſt. Neque negligatur ſollers partium exulceratarum ſeparatio, ne moleſto turpique coalitui locus concedatur.

Vlcera leproſa.

DCLXXVII. Vera quidem Lepra et Elephantiaſis in noſtris regionibus ſunt rariſſimae, at horrendi mali locum tenet ſingularis morbus contagioſus, in quo, quantum quidem praegreſſa et concomitantia docent, diatheſis ſcorbutica cum viru venereo ad effingendam Leprae ſpeciem conſpirare videtur, in nonnullis Noruegiae perinde ac Scotiae prouinciis endemius. Hic foedas inducit vlcerationes, vnde oſſa aeque

ac fauces et aliae partes molles depascuntur. Medelam tamen ad vtrumque humorum vitium adornatam morbum nedum adultum haud difficulter tollere compertum est.

Vlcera anginosa.

DCLXXVIII. Certa quaedam Anginae contagiosae species vlcera faucium, ex albicantibus pustulis cito in tabum, saepe gangraenosum, collabentibus nascentia, adfert e morbo praesente facile cognoscenda, strenuo antisepticorum interno, externo usu debellanda. Vinum generosum, corticis Peruuiani virtute ditatum, hic maxime laudatur.

Aphthae.

DCLXXIX. Ad vlcera merito referuntur aphthae, vtpote pustulae vt plurimum albicantes, saepe candidissimae, circulo roseo circumdatae, saepe tamen flauae, fuscae, liuidae, nigricantes, ex apice pertuso mucum glutinosum fundentes, internam oris superficiem obsidentes, interdum in oesophagum et in reliquam viam alimentarem descendentes, valde dolentes, masticationem et deglutitionem impedientes. Saepissime metastasi

lentae

lentae et insidae in febribus continuis, exanthematicis, putridis, inflammatoriis denique; tum etiam in aluifluxibus debentur: lactantibus, acore in prima culina laborantibus familiares, in phthisicis aliisque tabe confectis scenam claudere solent. Vnde patet communem *caussam* esse materiem acidam, purulentam, putridam, aliam denique morbificam resorptam. *Prognosin* laetiorem suppeditat albidior pustularum color, facilis secessus minorque renouatio, morbi statu simul considerato. *Curationem* quod attinet, Borax veluti specifica virtute fugat aphthas, facillime tamen recurrentes, nisi deletus fuerit earum fomes. Neque tutum est, illico reprimere haecce vlcera, si vere critica fuerint. Benignae blandam tantummodo muci abstersionem, balsamicamque partium excoriatarum collutionem poscunt.

Achores et Faui.

DCLXXX. Achores *sunt* vlcera capitis manantia e foraminulis plurimis humorem glutinosum tenuem foetidum effundentia, pilos plerumque conglutinantia. Ab his vix differt *Fauus*, nisi quod maioribus tuberculis oritur,

 magis-

magisque patula habet foramina, humorem ſpisſiorem, mellis conſiſtentia ſimilem fundit, qui condenſatus denſiores format cruſtas. *Sedem* praebent cryptae muciparae cutis capillatae, materie ſeroſa acri adfectae. Infantes et iuuenes huic malo praecipue ſunt obnoxii, inter quos nonnulli certis anni temporibus his vlceribus infeſtantur: in aliis phthiriaſis, ſcrophulae, pallor et macies ſimul adſunt, altioresque morbi radices produnt. Quum vero foedus iſte morbus grauiores interdum adfectus auertat, ſaepe ſub pubertate vel menſtruatione ſponte recedat, ſaltem interdum haud impune fugetur, in *curatione* caute procedendum eſt. Tentandum itaque, quid iuuet capillorum reſectio, cruſtae emollitio, vlcerationis deterſio, therapia interna haud neglecta. Quodſi his reſiſtant vlcera, ad leniora reprimentia aut exſiccantia, maxime ex vegetabili regno deſumpta, per gradus procedatur.

Cruſta lactea.

DCLXXXI. Crvstam lacteam *vocamus* vlcera pruriginoſa, manantia, faciem infantum lactantium annuorum vel bimulorum occupantia. Malum in fronte vel genis ſub macularum rotunda-

tundarum lente proſerpentium, puſtulis minutis obſitarum, ſpecie adparet; humor ex albo flaueſcens inde effuſus cruſtas modo ſiccas modo humidas format, quibus ablatis nouae ſuccreſcunt. Alumni pingues, voraces, ſeminio ſcrophuloſo praediti, lacte illaudabili nutriti, prae reliquis infeſtantur. *Curatur* morbus praecipue lacte mutato, tenuiore: neque niſi euidentia adſint acrimoniae ſigna vel vlterius progrediatur malum, aliquid agendum eſt, quum repreſſa eruptio grauiſſima mala inducere queat. Denſiores tamen cruſtae ſunt emolliendae parteſque ſolidae balnei frigidi beneficio robore donandae. Quod ſi imprudenter repercuſſus fuerit morbus, variis acribus, maxime vegetabilibus, eius renouatio tentanda eſt.

Tinea.

DCLXXXII. Tineam *conſtituunt* vlcera cutanea caput capillatum obſidentia, ſub cruſta craſſa, aridiſſima variique coloris latentia, qua ablata cutis humida, rubra, corroſa adparet. Ex paruo principio malum vsque adeo increſcit, vt non raro totam partem capillatam, quin etiam loca vicina occupet. Modo ſponte *exori-*

tur,

tur, modo per contagium traducitur. Achores diuturni, fauus diuturnus, febris aut labes venerea anſam huic malo praebere poſſunt. Nulli aetati parcens, peculiari pertinacia ſaeuiens, ſaepiusque reuertens, neque ſine artis auxilio debellatur. *Therapia* chirurgica verſatur in bulbis capillorum euellendis, quippe qui morbum alere videntur. Quamuis enim variis remediis externis, ſicut decocto Nicotianae, pice liquida, oleo empyrevmatico, aliisue emollita et ablata in anteceſſum cruſta, exſiccari quidem poſſint vlcera, redire tamen ſolent; capillorum vero radicibus, ſiue forcipis, ſiue emplaſtri adhaeſiui ſagaciter admouendi miniſterio ablatis perfectam ſanationem ſperare licet. Arſenicum hic adhibere periculoſum: hydrargyrum vero haud inutiliter in vſum trahitur, ſi labes venerea adſit.

Herpes.

DCLXXXIII. Herpetem *vocant* papularum chronicam congeriem prurientem, in cruſtas furfuraceas aut ſquamoſas abeuntem. *Diuiditur* in ſimplicem et complicatum, benignum et malignum, idiopathicum et ſymptomaticum, ſolitarium et gregalem. Simplex, idiopathicus, ſolita-

ſolitarius, non furfuraceus, parum pruriens aut rubens, certis temporibus recurrens et iterum euaneſcens, nullo humorum vitio fotus, benigni nomen meretur. *Cauſſae* ſunt vel externae, quo pertinet contactus herpetici cutisque per ſuſpecta veſtimenta irritatio: vel internae ſicut varia humorum labes, maxime venerea. *Curatio* herpetis ſimplicis, ſolitarii, e ſolo contagio exorti, recentis praeſertim, exſiccantibus acribus, vel acidis, vel ſi haec fallant, ſaturninis, interdum quoque veſicatorio admoto efficitur, cauſſa morbum excitante ſimul remota. Symptomaticus interna medela eradicandus eſt: audaci localium remediorum adplicatione repreſſus varios eosque grauiſſimos morbos inducere poteſt.

Scabies.

DCLXXXIV. Scabies *eſt* puſtularum purulentarum vel ſanioſarum, vel papularum ſiccarum chronica ex duriore et rubicundiore cute eruptio, pruritum, ſaepe quoque dolorem creans, interdum totum corpus facie excepta inuadens, ſaepiſſime tamen ſolos artus externos, digitorum imprimis interſtitia occupans. *Principium*

cipium absque dubio in acrimonia quadam peculiari quaerendum eſt: quae vel contactu inficiente vel ſuſpecto transfertur, vel aëre inſalubri, immunditieque fouetur, vel in corpore a victu impuro, inſueto, aut morbo gignitur. Vnde in orphanotrophiis, noſocomiis, caſtris, interque pannifices, capillamentarios et alios viliores notae operarios communis eſt morbus. *Prognoſis* ſcabiei ab illa, quae herpeti competit, parum abludit. Praecipua artis *auxilia* externa verſantur in munditiei cura, lauationibus frequentibus paullo acribus, mercurialibus: non omiſſis tamen ſubſidiis internis.

Vlcera apoſtematoſa.

DCLXXXV. Vlcvs apoſtematoſum ex quouis abſceſſu inflammatorio vel metaſtatico aperto *oriri* poteſt. Quod ſi prioris generis ſit neque profundus vel cum aliqua labe complicatus, eamdem *tractationem*, ac vlcus ſimplex (dlxvii) admittit. Sin minus, deſiderat expreſſionem puris, emollientia ad circuli inflammati reſolutionem continuata, linimenti digeſtiui et, ſi ample ſuccedat ſuppuratio, olei empyreumatici vel vnguenti aegyptiaci ad vorticis albi

fibroſi

fibrosi secessum vsque continuationem, laxam deligationem et a puris detersione nimia ac turundarum vsu abstinentiam, donec in vlcus simplex mutatum fuerit. In metastaticis egregie vtilis est Corticis peruuiani virtus, aqua calcis viuae extracta vel Myrrhae nupta.

Vlcera a caussa externa complicata.

DCLXXXVI. Qvae vlcus, per se simplex, complicatum reddunt, caussae externae praecipue haec sunt: deligatio iusto frequentior, rarior; liberior aeris accessus; nimia vel inaequabilis compressio; causticorum, exsiccantium, suppurantium abusus; corpora aliena in vlcere latentia; puris detersio frequentior, rudior; contactus miasma quoddam ad vlcus transferens. Quae omnia tali modo exasperant vlcus vt sanatio retardetur, suppuratio copiosa, cruenta vel alio modo peccans nascatur, sordities, verminatio, excrescentia inducatur. Vnde patet, irritamenti ablationem vel correctionem ad praecauendam et curandam eiusmodi complicationem praecipue conducere. Contagium suo quodque antidoto debellandum, verminationi autem frequentiori vlceris deligatione, munditie, spiri-

tuoso-

tuoſorum, balſamicorum, amarorum, oleoſorum adplicatione occurrendum eſt.

Vlcera ex vetuſtate complicata.

DCLXXXVII. Vlcera antiqua, diu et large fluentia, in ſenibus et cacochymicis imprimis, nullo exſiccante vel reprimente remedio ſunt tentanda, quoniam non raro grauiſſima mala, thoracis praecipue et capitis adfectus, ex imprudenti illorum conſolidatione ortum trahunt, ſicut etiam vlcerum habitualium ſpontanea exſiccatio in ſenibus inſtantis mortem nunciare conſueuit. In iunioribus vero et euchymis vlcera vetuſta ſub euacuantium et alterantium vel antidotorum conuenienti vſu ſanationem admittunt, cui ſcopo quies, compreſſio ſpleniis et faſcia modice adſtricta praeſtanda, emplaſtra et balſama exſiccantia, tenuis denique diaeta, optime inſeruiunt. Salem medium inſperſum vel Camphorae vſum internum extollunt nonnulli, experientia tamen vix probante. Ialappam nitratam fracta doſi propinatam, vt aliquoties per diem aluum moueat, ad ſananda vlcera crurum in illis, qui quieti ſeſe adſtringere non poſſunt, egregie conferre legimus.

Vlce-

Vlcera ex maiore ambitu complicata.

DCLXXXVIII. Insignis vlceris ambitus cum notabili carnium vel ſaltem tegumentorum deperditione longam et taedioſam curàm exigit, priusquam firma et tuta cicatrix ſperari queat. Quia vero talia vlcera tandem conſolidata propter cicatricis tenuitatem iterum iterumque recrudeſcunt, molli ac firmo adparatu haec munienda erit, donec violentia externa non adeo facile laedi queat.

Vlcera ex figura complicata.

DCLXXXIX. Figvra vlcera haud exiguum obſtaculum ſanationi opponere poteſt. Et primo quidem vlcera *rotunda* angulatis et reliquis ſerius conſolidari obſeruatione conſtat: quod in reſectione tegumentorum in variis operationibus neceſſaria probe notandum eſt.

Vlcera ſinuoſa.

DCXC. Maivs autem negotium faceſſit vlcerum *ſinuoſorum* curatio. Quo *nomine* veniunt illa, quorum cauitas interna aperturam in cute notabiliter ſuperat. Tale vlcus *oritur* ſaepiſſime in loco laxiore celluloſa praedito, ab-

ſceſſu, profundiore potiſſimum, nimis ſero aperto, hiatu vlceris externo minore, puris vitioſa a variis cauſſis indole, externi vlceris incongrua impletione turundis facta, vnde pus nouas ſibi vias in celluloſa muſculorum ac tendinum interſtitia, inque ipſa caua maiora parare cogitur. *Noſcitur* ex copioſiore puris ex vlcere, extus paruo effuſione, preſſo imprimis ambitu aucta. Quod ſimul cum exploratione rite inſtituta ſinus directionem declarat. *Prognoſis* vlceris ſinuoſi anceps eſt: pus enim difficilius effluens calore et mora foetorem atque acredinem rodentem contrahens, varias corroſiones peſſimaque mala inducere poteſt. Ad *curationem* requiritur, vt puri exitus liber atque ſufficiens et, ſi fieri poteſt, in loco decliuiori paretur, quod ſitu congruo, deligatione frequente, puris expreſſione, externi vlceris dilatatione, iniectione varia, puris per ſiphonem attractione, faſcia expulſiua cum ſpleniis et linteo carpto modice adſtricta, fundum ſinus comprimente, inciſione ad regionem decliuem fundi ſinus ex arte inſtituenda, totius vlceris transſciſſione, ad peculiares conditiones adornanda, obtinetur. Fiſtuloſa

ſtuloſa vlcera aliquam quidem cum ſinuoſis ſimilitudinem habent, pluribus tamen titulis complicata inferius exponentur.

Vlcera a ſuperficiei internae vitio complicata.

DCXCI. Triplex datur vitioſitas in ſuperficie vlceris interna, vnde id complicatum redditur: excreſcentia, ſiccitas, calloſitas. De poſtremo vitio in fiſtularum pertractatione, de ſiccitate in vitioſae ſuppurationis recenſione dicetur.

Vlcera excreſcentiis oppleta.

DCXCII. Excrescentiae in vlcere interdum obuiae a peculiari totius corporis vel vlceris ipſius diſpoſitione deligatione nimis laxa, emollientium et ſuppurantium abuſu vel latente oſſis labe *oriundae*, in benignas et malignas *diuiduntur*. Quae *benignae* ſalutantur, ſub forma papillularum rubrarum, mollium, inſenſibilium, facile ſanguinem fundentium, vltra debitos limites propullulant. Hae ſi minores fuerint, cathaereticorum vſu et compreſſione modica ſupprimuntur: maiores cauſtico, cultro aut ligatura auferuntur: ab oſſe vitioſo ortae therapiam ali-

bi expoſitam poſcunt. *Malignae*, pallidae, plumbei coloris, maxime dolentes, duriorem formant tumorem, interdum in carcinoma facile degenerantem. Quae cauſticis tentandae non ſunt, ſed totae exſcindenda. Noua excreſcentiae progerminatio ſtrictiore deligatione et adſtringentium exſiccantium adplicatione praepeditur.

Vlcera ex ſuppurationis vitio complicata.

DCXCIII. Svppvratio ad ſanationem vlceris neceſſaria quadruplici modo a Naturae medicatricis norma aberrat: puris nempe deprauatione, abundantia, defectu et reſorptione.

Vlcera prauum pus fundentia.

DCXCIV. Pvris deprauatio raro ſola adeſt, quin alia etiam vlceris complicatio vel praeſens vel mox adfutura ſit. Praecipue autem varia humorum labes, peculiariumque partium adfectio, morbus denique ſuperueniens debitam puris craſin mutant. Vnde patet particularem huius vitii correctionem alii indicationi inniti.

Vlce-

Vlcera nimium ſuppurantia

DCXCV. Qvae abundans pus fundunt vlcera vtplurimum vulnerum aut contuſionum, in corpore debili praeſertim, ſequelae ſunt. Nimiam autem humorum in pus conuerſionem corpori vires et nutrimentum detrahere, marasmumque et ipſam mortem interdum inducere neceſſe eſt. Strenuum remediorum leniter adſtringentium, corticis Peruuiani imprimis, vſum ſtrictioremque deligationem exigunt.

Vlcera ſicca.

DCXCVI. Vlcera ſicca e defectu puris, dolore, pruritu, rubore, calore, facile cognoſcenda remedia poſcunt emollientia, pus mouentia (dcxxx). Ceterum non raro vlceris in malignum degenerationem vel puris reſorptionem indicant, in quo caſu huic maxime vitio medicina paranda eſt.

Vlcera pus in ſanguinem transmittentia.

DCXCVII. Pvris ex vlcere in maſſam humorum reſorptionem, malum ſemper periculoſiſſimum, *inſtare* cognoſcitur ex celeri illius

imminutione, consistentia vitiata, decoloratione, foetore, ambitu vlceris detumescente, flaccescente, symptomatibus febrilibus accedentibus. Inter varias *caussas* huius resorptionis principes sunt tarda suppuratio, diuturnior puris in abscessu vel vlcere huiusue sinu mora, maximus vlcerationis progressus, praeuia violenta contusio, debilis corporis habitus, praua diaeta, opiatorum, catharticorum et aliorum medicamentorum internorum, maxime euacuantium, reuellentium, deriuantium imprudens vsus, aër corruptus, adstringentium, exsiccantium, spirituosorum intempestiua adplicatio, nimia compressio, iusto rarior deligatio. *Factam* puris in sanguinem transmissionem produnt pulsus variabilis, horrores cum caloribus alternantes, respiratio difficilis, dolores vagi, vlceris siccitas vel stillicidium ichorosum, depositiones metastaticae, vrina purulenta, oedema primo in parte adfecta adparens deinde vniuersale, febris lenta, diarrhoea colliquatiua, et alia symptomata, saepe saepius lethalia. *Praeuertitur* resorptio matura caussae ablatione, frequenti deligatione, pus impositae spongiae ope proliciente, sub rito corti-

cis

cis Peuuiani vſu interno. Praeſens vero, niſi abſorpta per emunctoria idonea vel abſceſſus metaſtaticos curam admittentes feliciter eliminentur, vlteriorique reditui medicamentum iamiam laudatum obſtet, certiſſime occidet.

Vlcera ex ſingularium partium adfectione complicata.

DCXCVIII. Notabilem certe complicationem efficit vlceris in parte ſingulari ſitus vel in eamdem progreſſus, diuerſaque illi medela paranda eſt, prout os, cartilaginem, membranam, ligamentum, aponeuroſin, tendinem, articulum, glandulam maiorem, organum ſenſus, viſcus, inuadit. Particularem autem huius complicationis ſpeciem inter alia ſigna, ex anatomica cognitione cauſſarumque et ſymptomatum diiudicatione petendam, puris quoque qualitas non raro declarat. Sic partes tendineae, aponeuroticae, ligamentoſae, membranaceae, glanduloſae, pus fundunt tenue, gryſeum, ſaepe foetens; in genitalibus materies purulenta ſingularem foetorem et virideſcentis quid habere ſolet: ex teſticulo vlcerato pus nonnumquam filamentoſum prodit:

in cellulosa vt et nonnullis visceribus, nisi mora, calore aut alia caussa mutetur, pus laudabile (DCCXVII) adparet, vlceris sanationi mirum in modum fauens: quale in osse vlcerato gignatur, mox dicetur. Ex variis vero huiusmodi complicationibns sola ossium vlcera seu Caries peculiarem pertractationem sibi vindicant, quum reliquarum cognitio et curatio ex praecedentibus facili negotio eruatur.

Caries.

DCXCIX. CARIES in vniuersum *vocatur* vlcus ossis, quo huius textura organica tali modo adficitur vel destruitur, vt lamellae vel fibrae partim nutrimento destitutae exsiccentur, partim humore acri imbutae periosteo soluto spongiosa et friabilis euadant, colore natiuo simul in album, flauum, gryseum, cineritium, nigricantem mutato.

DCC. CARIEI *caussae* vel externae sunt vel internae. Ad *externas* pertinet periostei mechanica solutio, vulnus, contusio, fractura, fissura, sanguis effusus, apostema, vlcus, aëris frigidi ad os denudatum accessus, praua medicatio.

catio. *Internae* ſunt varia acrimonia humorum maxime venerea, ſcrophuloſa, racchitica, varioloſa, metaſtaſes, exoſtoſes, inflammationes et inſequentes perioſtei, membranae medullaris, ipſiusue textus oſſei ſuppurationes.

DCCI. Hoc vlceris genus *diſtinguitur* in Cariem occultam et apertam, ſuperficialem et profundam, humidam et ſiccam, benignam et malignam. *Occulta* noſcitur ex cauſſa praegreſſa; dolore partis adfectae plus minus intenſo ac tumore, continuis vel per interualla recurrentibus; accedente deinde cutis alienatione in rubellum, violaceum, plumbeum; cum tegumentorum inflatione, dolore, ſenſuque mollitiei et fluctuationis. Cariem *cum externo vlcere* iunctam dignoſcimus e ſymptomatibus praegreſſis; carne plerumque flaccida, albicante, luxuriante; ſpecillo haud aegre penetrante; labiis vlceris incuruatis; pure tenui, ichoroſo, acri, copioſo, nigricante, foetorem ſingularem rancidum ſpirante. Quodſi tale vlcus denique clauſum fuerit, imperfectam ſanationem prodit cicatrix mollis, eminens, inaequabilis, vlceris renouatio. Certiſſime vero cariem declarat inaequalis oſſis

 denu-

denudati ſuperficies digito vel ſpecillo obuia. *Superficialis* caries indicatur cauſſa praegreſſa, ſymptomatibus leuioribus; abſentia tumoris notabilis in ipſo oſſe, et ſi viſu tactuue attingi queat caries, poſt leuem partis adfectae perforationem ſanguinis proruptione: *profunda* e contrario grauioribus ſymptomatibus atque ſerius accedente oſſis tumore. *Humidae* diagnoſin ſiſtit copioſior ichoris effluxus cum luxuriante carne freqnentiſſime iuncta: *ſiccae* autem defectus liquidi labia vlceris eiusque ſuperficiem humectantis. *Benignae* notas conſtituunt ortus a cauſſa externa, defectus ſignorum labem humorum qualemcumque declarantium, nullorum niſi indiuiduorum cariei ſymptomatum praeſentia. *Malignam* e contra humorum vitioſitas, cariei cum exoſtoſi maligna, praedarthrocace, ſpina ventoſa, hyperoſtoſi, oſteoſarcoſi commixtio, plurium oſſium ſimultanea adfectio prodit. Gradu ſubinde diuerſiſſimam eſſe cariem liquet, inter ſimplicem oſſis denudationem ac plenariam eius corruptionem vermiculationemue medium certe datur.

DCCII.

DCCII. Commvnes cariei *effectus* quod attinet, functionem ab offis firmitate et integritate pendentem vario gradu exinde laedi, partes vicinas diuerfimode diffolui et corrumpi, periofteum deftrui, mufculorum, neruorum, articulorum, vifcerum multiplices adfectiones, puris reforpti noxas, offium tumores nafci mortemque ipfam induci poffe, eo quidem citius certiusque, quo propius vlcus ad encephalum vel medullam fpinalem accedit, fponte fua patet.

DCCIII. Qvod huius morbi *prognofin* fpectat, maximam partem ex aetate viribusque aegroti, gradu, indole et fede mali pendet. Quae a cauffa externa natales trahit offisque denfiorem partem occupat, caries facilius curatur, quam ex humorum labe exorta et in laxiore offis textura, praecipue circa articulos, refidens. In molliori offium fabrica, maxime in epiphyfibus apud infantes caries fedem figere amat, diffiaciliusque fecedit. Quo magis fuperficialis recensque fuerit, eo minus refractaria eft: quo magis inueterata et extenfa, quo complicatior, quo plura offa occupat, eo pertinacius fanationi refiftit.

DCCIV.

DCCIV. Cariei *curatio* ad gradum indolemque morbi varia, in vniuerſum exigit oſſis adfecti denudationem, corrupti ſeparationem, cauſſae, ſi fieri poteſt, ablationem, vlceris denique conſolidationem. Quodſi *occultae* cariei ſigna adſint vel haec ob abſceſſum oſſi vicinum immineat, tempeſtiuam inciſionem, in apoſtematum Chirurgia expoſitam, malum vel plane praecauere vel ſaltem profundiori oſſis adfectioni obſtare compertum eſt. Simplex *oſſis denudatio* citam eius obtectionem, labiis vulneris ad ſe inuicem adductis, quantum fieri poteſt, praeſtandam, raram deligationem aërisque externi excluſionem et reliquam therapiam cranio ſimilem laeſionem paſſo (DLXIV) competentem poſcit: ſic non raro absque vlla ſenſibili oſſis exfoliatione ſanatio ſuccedit. *Superficie* autem iam *emortua* vel laminae exfoliatio promouenda eſt, quod cita et attenta deligatione, Spiritu vini rectificatiſſimo, eſſentiis vel pulueribus balſamicis, oleis aethereis, partis carioſae ad ſanguinis profluuium perforatione obtinetur: vel corruptum ſcalpri idonei ope aufertur. Si pars carioſa vlcere externo maior fuerit, huius dilatatio-

tationem non raro requiri per ſe patet. Ceterum aquoſorum, pinguium vſus aërisque acceſſus ſedulo vitetur. *Profundae* cariei oſſis denudatione, remediis iamiam laudatis, interdum quoque cauſticis, inter quae Hydrargyrum in acore nitroſo ſolutum atque puluis Euphorbii principem locum tenent, medendum eſt. Praeſtantiſſimum tamen in carie profunda, humida inprimis et luxuriantibus carnibus obſeſſa, remedium conſiſtit in prudenti ignis adminiſtratione. Si *inter lamellas* oſſeas haereat malum, terebratione indagandus eſt latens eius fomes. Ab *humorum acrimonia* ortum ducens therapia interna, genio cauſſae adcommodata, debellanda eſt: Aſam foetidam hoc ſcopo eſſe vtiliſſimam experientia conſtat. Oſſis corrupti pars *exfoliata*, carnibus nempe propullulantibus ſeparata, vacillans, non violento impetu, ſed ſuſpenſa manu auferatur. Nonſolum partem oſſis cuiuslibet carioſam, ſed integram quoque cylindrici diaphyſin ſeparari et Naturae viribus reſtitui poſſe, mirabiles docent obſeruationes. Quam teneuiora oſſa patiuntur, ſubſtantiae iactura vix vmquam reparatur. Corrupta autem parte plane ablata vlcus purum

com-

communem vlceribus medendi rationem sequitur.

Vlcera fiſtuloſa.

DCCV. In omni vlcere vere fiſtuloſo non ſimplex ſed quadruplex datur complicatio, vetuſtas nimirum, figura ſanationi obſtans, ſuperficies interna calloſa et ſuppuratio vitioſa. Vnde patet quatenus fiſtula cum vlcere ſinuoſo conueniat, quatenus ab eodem differat. Quae autem de peſſimo hocce vlcerum genere dicenda ſunt, commode ſex articulis comprehenduntur.

Fiſtula communis.

DCCVI. Fistvla ſeu vlcus fiſtuloſum genuinum *dignoſcitur* anguſto foramine cutis in canalem ampliorem cauernoſum terminato, oſtio et ſuperficie vix vmquam non calloſis, puris ichoroſi copioſiore, quam cum anguſta apertura conuenit, ſtillicidio et totius vlceris antiquitate.

DCCVII. Qvae fiſtulam inducunt, *cauſſae* ſolemnes ſunt apoſtema neglectum, remediis acribus vexatum, vel intempeſtiue compreſſum, puris effluxus impeditus, partium ſuppurati-

purationem vel coalitum aegrius admittentium, offium, cartilaginum, membranarum laefio, corporis alieni in vlceris fundo mora, vlceris cum cauo maiori communio, perpetua liquidi alicuius e vafe vel receptaculo laefo effufio: quae omnia ex anatomica notitia, fymptomatibus praegreffis et concomitantibus puris indole et debita fiftulae exploratione diiudicantur.

DCCVIII. Fistvlae *directio* aut recta aut curua aut tortuofa aut ex his compofita effe poteft. Quodfi in cellulofa infra cutem fuperficialis ferpat, durities extus palpabilis eft; fi profundius migret, cauta exploratione, ftyli flexilis ope fub vario corporis fitu ad varias directiones inftituenda, iniectione, puris vel liquidi iniecti expreffione, compreffo fiftulae ambitu cognofcitur. *Callofitates* in fiftulis femper fere obuiae non morbum fed fymptoma ab impedito effluxu puris aut tractatione vlceris incongrua oriundum conftituunt, vnde faepiffime ablatio cauffae ad foluendum callofum fufficit: rarius cauftici aut cultri minifterio opus eft.

DCCIX. Fistvlae communis *Chirurgia* verſatur in cauſſae ablatione, et fiſtulae in vlcus ſimplex mutatione. *Cauſſa tollitur* corpus alienum extrahendo, oſſis carioſi exfoliationem (dcciv) promouendo, molliter deligando, os externum dilatando, obſtacula liberum ichoris effluxum impedientia remouendo, humores aliorſum deducendo, labem humorum corrigendo. In *vlcus ſimplex* tranſit fiſtula, priore obtento, totius canalis, ſi fieri poteſt, tranſciſſione, leni ſuppurantium adplicatione, quae ſaepiſſime, ſi dicta (dccvii) ſimul obſeruentur, calloſum ſoluunt. Rarius ſcarifationes profundiores vel totius fiſtulae exſciſſionem iubet neceſſitas.

Fiſtula lacrymalis.

DCCX. Fistvla lacrymalis ſenſu latiore dicitur morbus canthi oculi interni vel naſi, lacrymarum ex oculo in nares deſcenſum impediens.

DCCXI. Cvivs impedimenti *principium* poſitum eſt in punctis, ductus, ſacci lacrymalis qualicunque compreſſione, obſtructione, concretione,

cretione, deſtructione. *Cauſſae* praediſponentes et occaſionales ſunt varia ophthalmia vel alia oculi adfectio, violentia externa, humorum labes venerea, ſcrophuloſa, cancroſa, rheumatica. Quarum cauſſarum effectus primarii *ſedem* vel in ipſis viis lacrymalibus vel in harum vicinia habent. Prioris generis ſunt varii puncti, ductus, ſacci lacrymalis morbi, ad poſterius pertinent tumores calidi, frigidi, carunculae vel glandulae lacrymalis, palpebrarum, bulbi oculi, oſſis denique, viam lacrymarum comprimentes.

DCCXII. Omnis viarum lacrymalium imperuiationis *ſymptomata* conſtantia ſunt oculus lacrymans et caui naſalis in adfecto latere aliqualis ſiccitas: minus conſtantia ſunt oculi vel palpebrarum inflammatio, ipſarum viarum vlcera, fiſtulae, excreſcentiae, caries.

DCCXIII. Specialem horum vitiorum aetiologiam et diagnoſin quod attinet, *puncta* vt et *ductus* lacrymales, lacrymis craſſioribus acribus, muco albo tenaci aut pure obſtrui, praegreſſa inflammatione coarctari atque concreſcere, interdum a ſacci imperuiatione liquidique regurgi-

 tatio

tatione immodice dilatari poſſunt, quod ex morbi praegreſſi indole, ſignis communibus et punctorum ductuumue nimia amplitudine aut imperuiatione dignoſcitur. Ipſe *ſaccus* lacrymalis diuerſimode, ſaepiſſime tamen ſucceſſiue adfici hincque fiſtula lacrymalis maxime complicata naſci poteſt: ſacci nimirum relaxatione, ſuppuratione et vlceratione externa, totali denique deſtructione, ductus naſalis obſtructione qualicumque, oſſium vicinorum, vnguis praeſertim, carie. Relaxatio ſacci, nonnullis Hernia lacrymalis dicta, noſcitur tumore externo in regione ſacci lente oborto, indolore, haud decolore, qui compreſſus lacrymas puras aut muco albo commixtas per puncta vel aperturam naſalem, rarius per vtramque viam mittit. Suppurationem ſacci lacrymalis declarat tumor, dolens, ſaepe etiam rubore ſtipatus, ſub compresſione materiem purulentam aut lacrymis intermixtam fundens. Vlceratio ſeu genuina fiſtula huius receptaculi cognoſcitur vlcere externo lacrymas mittente, ſpecillo per vlcus in ſaccum lacrymalem penetrante, liquidi per puncta iniecti effluxu ex vlcere; ſi vetuſta fuerit marginibus

nibus duris, callofis. Obſtructionem eiusdem indicat caui naſalis lateris adfecti ſiccitas, cum ſuperioris partis ſacci dilatatione, lacrymarum per puncta vel vlcus externum regurgitatione continua, ſtyli explorantis impedito in ſaccum tranſitu, excreſcentiis polypoſis per vlcus externum nonnumquam protuberantibus, quae obſtructio interdum in ſolidiſſimam caui impletionem aut plenariam parietum concretionem degenerare poteſt. *Aperturam* ſacci naſalem obſtructam eſſe eadem fere ſigna docent, tum quoque varii membrana pituitariae oſſiumque ſubiacentium morbi praegreſſi. *Cariei* os lacrymale vel maxillare depascentis indicia ſuppeditat morbi ortus et progreſſus ſpecillumque oſſis ſuperficiem explorans.

DCCXIV. Omnis autem imperuiationis viarum lacrymalium *prognoſis* ex facilitate vel difficultate cauſſam tollendi pendet. Miasma morbum alens et aetas prouectior ſanationi in vniuerſum obſtant.

DCCXV. Commvnis horum malorum *therapia* conſiſtit in cauſſae ablatione, medicationem

interna eidem ſcopo adcommodata, humorum denique reuulſione et deriuatione. In ſpecie vero punctorum aut ductuum lacrymalium *obſtructionem* a muco tenace, haud difficili negotio remouere ſolet vapor emolliens, errhinum lene, immiſſus ſtylus tenuis, iniectio iterata. *Eſcharas* ſeu cruſtas puncta occludentes diluunt emollientia adplicata. Firmiſſimae atque vetuſtae *cicatrices*, haud infrequentes variolarum ſequelae, vtrumque praeſertim punctum obcoecantes, perforationem ſtylo firmiore praeſtandam non admittentes, deſtructis potiſſimum orificiis cartilagineis reſtitutionem viae naturalis excludunt. Rupto tamen vel inciſo ſacco ſtylus huic immiſſus contrario itinere interdum puncta aperire valet. Nimiae *punctorum ductuumque dilatationi*, attractionem lacrymarum impedienti, viam ſacci lacrymalis liberam relinquenti, tonicorum, adſtringentium, maxime frigidorum, adplicatione medendum eſt. *Sacci ipſius dilatatio*, haud dolens, nil niſi lacrymas fundens, ſanatur vel ſaltem limitatur ſimilibus admotis, leni ac ſagace compreſſione diuerſimode inſtituta, iniectione detergente, leniter adſtringente. *Inflam-*

flammatio et *ſuppuratio ſacci* niſi communi medela (CCV) debelletur, iniectiones balſamicas, reſoluentes crebrioremque puris expreſſionem requirit. Quodſi his non cedat morbus cute praeſertim inflammata, haud differenda eſt inciſio ſacci, vt grauiora mala auertantur. Sacci a quacumque cauſſa notabilis *obſtructio*, punctis ductibusque peruiis, vix vmquam ſola iniectione vel ſetaceo per punctum ſuperius in naſum immiſſo tollitur, quum talis perductio difficillime ſuccedat, neque punctum ductusue ſetaceum ſine detrimento ſuſtineat. Praeſtat itaque alia methodus mox dicenda. *Caries* oſſis lacrymalis vel maxillaris ablationem corrupti, ſi fieri poteſt, absque membranae pituitariae laeſione poscens, viae lacrymarum naturalis reſtitutionem minime excludit. Plenaria *ſacci aut ductus naſalis deſtructio* natiuae viae reparationem non ſinit: incerta tunc ſpes in itineris mutatione, oſſis nempe lacrymalis perforatione poſita eſt. Morbi ac tumores varii *viciniam* viarum lacrymalium occupantes therapiam genio mali adcommodatam exigunt, ſuo loco expoſitam vel exponendam.

DCCXVI. Svperest vt ad operationes modo dictas propius accedamus. *Iniectio* itaque facci lacrymalis ope syringis et cannulae, siue tenuissimae, per punctum in saccum immittendae, siue maioris, curuatae, per aperturam nasalem singulari encheiresi eodem perducendae, institui inque variis viarum lacrymalium adfectibus egregium leuamen adferre potest. Per punctum tamen transmissum liquidum ob minutulam quantitatem minorem saepe effectum praestare necesse est: neque introitus cannulae per inferiorem hiatum semper succedit, quum circulus valuularis prominens non facile illam admittat. *Sacci incisio* perficitur, quando iste humore collecto distentus eminet, cultro chirurgico oblique ducto, illaesa palpebrarum commissura: externa enim incisio inter bulbum oculi et palpebram inferiorem instituendae, vtpote vehementem irritationem creaturae, merito praefertur. Vlcus post incisionem vel spontaneam rupturam superstes ad communem methodum (dclxvii) tractetur: leniter certe hic procedendum est, siquidem rudior vlceris impletio aut tractatio laudabilem suppurationem impediendo, latera premendo,

mendo, ductus lacrymales corrugando, verae fistulae lacrymali ansam dat. Praestantiorem *setacei* administrationem quod attinet, externa sacci incisione facta pro diuersa canalis obstructi diametro stylus, vel turunda, vel chorda musica aut semel aut successiue per vlcus externum canalemque apertum in nasum ducitur, deinde vero cum setaceo adfixo, ad tantam quidem longitudinem, vt circumuolutiones in inferiore nasi meatu efficiantur, quae tunc stylo in vncum curuato aut forcipe minore facile arripiuntur. Plenaria canalis restitutione obtenta, setaceum aufertur et vlcus ad speciales indicationes supra expositas tractatur. *Perforatio* ossis lacrymalis et membranae pituitariae perficitur ferro candente, vel spina sutoria vel stylo obtuso, vel apice forficis. Apertura deinde ablatis ossis frustulis turundae seu cannulae immissae adminiculo aperta seruatur, vt fistula in osse saccoque remaneat et vlcus externum claudi possit.

Fistula corneae.

DCCXVII. Fistvla corneae e signis vlceris fistulosi generalibus in cornea tunica obuiis *cognoscitur*.

DCCXVIII. Quae vel *completa* eſt, vtramque tunicae ſuperficiem perforans, vel *incompleta* in alterutra tantummodo aperturam habens. Inter lamellas vero ſerpens vel vnum vel plusculos cuniculos efficere poteſt.

DCCXIX. Hvivs fiſtulae *cauſſae* ſollemnes ſunt ophthalmiae grauiores, metaſtaſes, vngues (DCLI) hypopion, medicamenta acria, ſeptica adplicata.

DCCXX. Stipatvr malum variis *ſymptomatibus:* liquoris aquei ichoroſi effluxu; coloris natiui diaphani circa fiſtulam in album vel ex albo flaueſcentem opacum degeneratione; viſu, pro diuerſa morbi ſede, deprauato, imminuto, abolito. Si completa fuerit fiſtula, oculo aperto, ſiue naturali motu agitetur ſiue digito prematur, humor aqueus vel pedetentim vel cum ſaltu prodit, vnde viſus abolitio, donec humor denuo congeſtus fuerit. Quodſi fiſtula aëri libero manſerit expoſita, cornea in totum opaca euadit, iris et capſula lentis cum cornea coaleſcunt, humores omnes inquinantur, totus denique bulbus corroditur et deſtruitur.

DCCXI.

DCCXXI. Hinc *prognosis* in fistulis corneae complicatis valde illaetabilis, quum saepe saepius immedicabilis visus abolitio inducatur; attamen si in principio morbi tempestiue adhibeatur medela, sanationem non excludit morbus.

DCCXXII. Qvoad *curationem* haec fistula auxilia antiphlogistica strenue in vsum vocata, duraturam humorum ab oculo deriuationem, cuniculi fistulosi dilatationem externam, acu plana ancipite, breui tenuique apice instructa, instituendam, discutientium, blandorumque detergentium adplicationem, absolutissimam vtriusque oculi quietem, deligationem sedulam, ad vlceris consolidationem continuandam requirit.

DCCXXIII. Cicatricis ex vlcere corneae sanato oriundae leue vel nullum remanere solet vestigium; quod si vero remanserit *cicatrix* opaca, a Naturae viribus, blanda medicina detergente externa adiutis, in iunioribus praecipue, sperari potest totalis vel notabilis saltem pelluciditatis restitutio.

Fiſtula ſaliualis.

DCCXXIV. Fistvla ſaliualis poſt praegreſſam ductus Stenoniani diſſolutionem exorta, peruia parte canalis os reſpiciente, rationem vulneris eiusdem (dlxxvii) ſequitur; ſi vero concreta fuerit eadem pars neque via natiua ad oris caueam reſtitui queat, noua paranda eſt tunicae oris interna perforatione, quo facto fiſtula externa ad artis regulas ſananda erit.

Fiſtula ani.

DCCXXV. Fistvla ani in vniuerſum *dicitur* vlcus fiſtuloſum in vicinia ani.

DCCXXVI. Cvivs mali *cauſſae* ſunt varii abſceſſus phlegmonoſi, critici, furunculi, anthraces, tumoresque haemorrhoidales ſuppurati, ſpontanea, nimis retardata et non ſatis patula eorumdem tumorum ruptura, vel inſufficiens, longitudinalis praeſertim, inciſio, purisque impeditus inde effluxus, praua denique vlceris tractatio, corporum maxime alienorum neglecta extractio. Notandum tamen ſub debita abſceſſus medicatione atque tempeſtiua et rita inciſione vix et ne vix quidem auerti poſſe fiſtulam, ſi inte-

inteſtinum iam denudatum vel adfectum fuerit; quo congrua exploratione cognito, ad inciſionem mox dicendam recurrendum eſt.

DCCXXVII. Variae autem dantur fiſtularum ani *ſpecies:* ſunt enim vel ſimplices, vel complicatae. *Simplices*, nullis alienis aut grauibus ſymptomatibus ſtipatae, ab vlceribus ſimplicibus vix diſcrepantes, vel completae ſunt vel incompletae: incompletae iterum externae aut internae. Fiſtula *completa*, cuius nempe apertura non extus ſolum, verum etiam in recto inteſtino hiat, cognoſcitur e cauſſa praegreſſa, puris ichoroſi ſtercorei per vtramque viam effluxu, certiſſime autem ſtylo per fiſtulam externam ad artem (DXI) in inteſtinum immiſſo, digitoque indice in anum inducto. *Externam*, extus nimirum hiantem, in inteſtino clauſam declarant ſigna fiſtularum communia (DCCVI) et inteſtini recti integritas, ſtylo digitoque explorata et effluentium indole comprobata. *Internae*, non niſi in inteſtino patulae, indicia ſunt ſigna abſceſſus praegreſſa, effluxus puris ex ano absque alui ſolutione, ſiue excrementa antecedens ſiue his intermiſtus, raro poſt eadem prorumpens,

pens, vt plurimum ſub duritie aliqua in inteſti-no, ſaepe etiam extus ſimul ſentienda, vna cum cutis quadam decoloratione. Alia, quae com-mendantur, experimenta ad detegendam fiſtu-lam, ſtyli curuati in vlcus externum inductio, aut obturatio vlceris interni, vt externe percipi poſſit fluctuatio, difficilia atque minus ſecura merito habentur. *Complicata* denique ani fiſtu-la adeſt, vbi altius adſcendit canalis fiſtuloſus; vbi plures cuniculi extus vel intus vel vtrimque hiant; vbi partes vicinae, os coccygis, os ſa-crum, veſica vrinaria, vrethra, proſtata, vagina vteri, ſimul adfectae ſunt; vbi denique prauus corporis habitus morbum fouet.

DCCXXVIII. Vnde patet *prognoſin* fiſtula-rum ani fluere ex diuerſa earum ſpecie et com-plicatione. Simplex nempe debite tractata breui ſanatur: incongruis remediis vexata refractaria euadit grauiſſimisque malis viam ſternit. Com-plicata morbi accedentis rationem ſequitur.

DCCXXIX. Pro fiſtularum diuerſitate *cura-tionem* differre facile intelligitur. Et primo quidem *ſimplex completa* duplici methodo tractari poteſt.

poteſt. Turundae medicatae, ſetaceum, ligatura, cauſtica, totius denique canalis fiſtuloſi exciſio circa ſtylum flexilem perductum inque anſae formam extremis arreptum, interdum quidem morbum tollunt, ſaepe tamen recenſita fruſtra tentantur, dolores absque neceſſitate augentur, variae complicationes, inflammationes, ſuppurationes graues, ſubſequentesque incontinentiae ani inducuntur. Mitior certiorque ratio medendi haec eſt: ſcalpellum tenue apice nodato vel in ſtylum obtuſum terminato praeditum, per fiſtulam externam inteſtino immiſſum, digito indice in anum inducto excipitur, protractoque tunc cultro tota fiſtula vna cum inteſtini parte et margine ani transſcinditur. Calloſitates in fiſtulis ani plerumque obuiae transſciſſo canale, pure liberius effluente in corpore ſano ſponte diſſoluuntur, neque ſcalpelli cauſticorumue vſum poſcunt. Operatione facta vlcus ſub leni deligatione blandorumque ſuppurantium vſu, turundarum et cauſticorum vitatione, vt plurimum breui tempore conſolidatur, niſi labes humorum obſtet. Haemorrhagia ſuperueniens linteo carpto, fungo quercino, compreſſione digiti ſupprimitur.

Veſicae

Veſicae in anum immiſſae inflatio, ligatura mediante ſic dicto ſpeculo iniecta aliaque eiusdem farinae artificia vix vmquam optatum praeſtant effectum. Fiſtula ſimplex *externa* inteſtini denudati perforationem apice cultri lenticulati inſtituendam, *interna* vero integumentorum in loco indicato inciſionem et reliquam deinde transſciſſionem deſiderat. Ad *complicatam* quod ſpectat, fiſtula adeo *alte adſcendente*, vt eius extremum digito in anum immiſſo attingi nequeat, inferius extremum transſcindendum eſt, quo facto ſub debita vlceris tractatione, auxiliis internis ſimul adhibitis, cauum remanens ſolis Naturae viribus haud raro occluditur. *Plures canales* fiſtuloſi in inteſtinum concurrentes, vix vmquam vna fiſtula externa in plures aperturas internas terminata, nil niſi transſciſſionem vlcerisque congruam medicationem requirunt. Oſſium vicinorum *cariei* therapia (DCCIV) expoſita, in diſtantium oſſium adfectione quidem difficillima atque ambigua, occurratur. *Corpora aliena* in vlcere relicta ſunt extrahenda. *Prauo corporis habitui*, e ſuperficie vlceris decolore, ſuppuratione vitioſa aliisque iam allatis ſignis dig-

dignoſcendo, medicina interna maxime paranda eſt.

Fiſtula vrinaria.

DCCXXX. Fistvla vrinaria ex ſignis fiſtularum communibus, praegreſſo abſceſſu vrinario, vulnere vel alia laeſione viarum vrinariarum, et ex praeſente lotii per fiſtulam ſtillicidio, aut continuo, aut mictum comitante, *cognoſcenda* quoad canales ſatis *diuerſa* eſt, ſiquidem in ſingulum veſicae vel vrethrae hiatum plusculi cuniculi confluere poſſunt. Talis fiſtulae *chirurgia* verſatur in attentiſſima interni oſtii exploratione congruaque eiusdem dilatatione, natiuae lotii viae reſtitutione, catheteris et ſitus idonei ope molienda, vrethrae, ſi occluſa vel coarctata fuerit, diductione, vlcerisque externi conuenienti therapia, quo facto reliqui canales fiſtuloſi externi Naturae beneficio conſolidari ſolent. Plenarium partis vrethrae coalitum cathetere, per inciſam cicatricem ac fiſtulam in veſicam immiſſo et firmato, denuo reſtitui poſſe experientia conſtat.

DCCXXXI.

DCCXXXI. Fistvla vrinaria *in foeminis*, quam vesica sub partu laborioso lacerata vel contusa vel gangrenosa post escharam solutam relinquit, vrethrae coarctationem vel coalitum induere valet. Cuius curatio nisi ad methodum iamiam propositam succedat, globuli lignei oblongi, cera obducti, in vaginam immissionem, vt effluxus quodammodo cohibeatur, requirit. Cauendum tamen, ne in iis, quarum lotium calculosi quid secum vehit, diutius obturata fistula crustae molestae generationi faueatur.



SVB-

SVBSECTIO IV.

FRACTVRAE EARVMQVE CHIRVRGIA.

DCCXXXII.

Fractvram *dicimus* oſſis diſſolutionem a cauſſa quadam mechanica cito inductam, qua illud in duo vel plura fragmenta diuiditur. Vnde patet quomodo fractura a vulnere, vlcere et carie differat.

DCCXXXIII. Ad talem diſſolutionem facilius ſubeundam *praediſponitur* os natiua tenuitate, medulla ſenio morboue exhauſta, vaſorum oſſi propriorum collapſu vel coalitu, ſubſtantiae ipſius ab acrimonia quadam alteratione, corroſione, deſtructione. Quae cauſſae, prima excepta, tanto gradu adeſſe poſſunt, vt ſolus motus muſcularis, ſiue voluntarius, ſiue ſpasmodicus, longioris oſſis fracturam efficere valeat. Frigoris externi aliquam vim eſſe ad augendam oſſium fragilitatem, vix admitti poſſe videtur. *Cauſſae occaſionales* ſollemniores ſunt variae violentiae externae, compagis oſſeae reſiſtentiam ſuperantes.

Ad infrequentiores pertinent ſpasmi et conuulſiones, vel ſimplex muſculorum actio, cuius exemplum in patella ſana nonnumquam occurrit.

DCCXXXIV. Mvltiplex autem datur fracturarum *differentia.* Notiſſimam conſtituit diuerſa mali *ſedes*, prout nempe vel clauicula vel humerus et ſic porro fracturam ſiſtit. Deinde vel ſingulum os vel plura ſimul hanc laeſionem patiuntur. Varia quoque *directione*, transuerſa maxime vel obliqua, oſſa diſſoluuntur: nonnumquam plane irregularis, rariſſime lougitudinalis adeſt diſſolutio. Haec porro *gradu* differt prout vel partialis eſt, vti in oſſe fiſſo, vel plenaria; in totali fractura iterum os vel duo tantum vel plura ſiſtit fragmenta maiora, vel in minuta fruſta diuiſum et veluti conquaſſatum eſt. Neque leuis momenti eſt id diſcrimen, quod ex fragmentis a ſe inuicem vel notabiliter vel minus *dimotis* pendet. Praecipua vero diuerſitas poſita eſt in *ſymptomatibus* et variis *laeſionibus* ſiue abſentibus, ſiue concomitantibus, vnde celebris illa fracturarum diſtinctio in ſimplices et complicatas;

DCCXXXV.

DCCXXXV. Commvnia fracturae *ſigna* vel ſenſualia ſunt vel rationalia. Notas *ſenſuales* ſuppeditant difformitas membri, longitudine, inaequalitate, flexione inſolita adparens, ex comparatione cum latere ſano facilius detegenda, crepitatio ſub leui cautoque motu et exploratione percipienda, externa denique contuſionis praegreſſae ſigna. *Rationales* deſumuntur ex violentiae praeuiae natura et vehementia, cum oſſeae compaginis robore comparata, aegroti conſtitutione, variis ſymptomatibus, oſſis omniumque partium circumiacentium ſtatu naturali vel morboſo ſollerter conſiderato. Quod ſpecialia fracturae ſimplicis et complicatae ſigna attinet, in *ſimplice* praeter doloris pruritusue ſenſum motusque, quatenus ex firmitate oſſis pendet, laeſionem et leuem inflammationem nulla adſunt ſymptomata; *complicatam* vero fracturam varia conſtituunt, quae vel primitiua ſalutantur vel conſequutiua. *Primitiua*, iterum vel ex ipſius fracturae indole ac ſede originem trahunt, vti oſſis obliqua, duplex vel triplex, in minutula denique fragmenta diſſolutio, extremorumque a ſe inuicem receſſus; vel ex partibus

mollibus, a communi caussa externa vel ab ipso ossis fracti extremo vulnerante, irritante, comprimente laesis, accedunt, vnde intumescentia et inflammatio grauissima, in suppurationem vel ipsam gangraenam cito proserpentem prona, haemorrhagia, aneurysma, varia symptomata irritationis neruosae nasci solent. Ad hanc quoque referenda est complicatio fracturae a luxatione ossis laesi. *Consequutiua* symptomata fracturae complicatae sunt oedema taediosissimum, paralysis, atrophia, symptomata puris resorpti, caries, calli difformitas, curuatura membri, natiua ossis longitudo vel imminuta vel aucta, anchylosis. Multa quoque ex morboso solidorum humorumue statu fluunt.

DCCXXXVI. Qvoad *prognosin* fracturae valde differunt. Simplex in corpore sano rite tractata intra triginta vel sexaginta dierum spatium absque periculo sanatur; sub contrariis conditionibus multo longius tempus requirit, quinimo aegrotum non raro in vitae discrimen adducit, vel omnem medelam respuit, incurabiles molestias et difformitates relinquit, eo quidem magis, quo peioris indolis est fractura, quo

maior adeſt complicatio, quo peruerſior medendi methodus. In iunioribus ſanatio multo facilius ſuccedit quam in adultis vel ſenibus. Transuerſa fractura minus negotii faceſſit quam obliqua vel angulata. Aliarum partium laeſio iuncta prognoſin diuerſimode variat.

DCCXXXVII. Antequam ad medendi rationem accedamus, videndum eſt quo artificio Natura vtatur vt os diuiſum iterum conſolidetur vtque hiatus inter extrema expleatur. Vbi os quoddam fractum eſt, ab vtroque extremo ex ſoluta ſubſtantia organica humor ſanguinolentus effunditur, qui confluens ſenſim in glutinis ſpeciem inſpiſſatur: vaſa ſimul ab vtraque parte prolongantur, gluten perrepunt, materiem terreſtrem lente accumulant: ſicque noua generatur ſubſtantia oſſeae aemula, duritie hanc ſuperans, minus diſtincte tamen laminata, omnino organica. Haec, *Calli* nomine veniens, fragmenta firmiter conglutinat priſtinamque oſſis integritatem et firmitatem reſtituit. Quodſi autem ex vno tantum extremo profluat humor vel confluxus effuſi impediatur, nullum callum gigni poſſe compertum eſt, vti diſſolutio oſſium cario-

cariosa, ossisque imperfecte vel plane nullo callo obducti post amputationem membri transscissio et alia monstrant. Caussae mutuam humoris effusionem et concretionem, hincque calli formationem retardantes vel omnino prohibentes sunt peculiaris corporis habitus, siue in solidorum debilitate siue in humorum labe quaerendus, nondum certe determinatus; talis extremorum ossis a se inuicem deuiatio, qua communio effluxorum excluditur; fragmentorum maiorum abs periosteo separatio; membrana singularis vel pars quaedam mollis extremis interposita; substantia cartilagini similis finibus ossis fracti obducta, ex defectu quietis et calli lentius formato oriunda; strictior denique deligatio, liberum sanguinis affluxum impediens. Verum enimuero non solum defectu, sed etiam excessu peccare potest callus. Hic fere semper ex vitiosa extremorum distantia nascitur, siquidem fracturae rite tractatae vix vmquam iusto maius calli volumen admittunt.

DCCXXXVIII. In vniuersum itaque *curatio* fracturarum versatur in adiuuandis et dirigendis Naturae viribus medicatricibus, vt ossis fragmenta

menta firmiter et, quantum fieri poteſt, absque remanente difformitate aut moleſtia coaleſcant. Hinc quadruplex datur in Chirurgia fracturarum, ſiue ſimplicium ſiue complicatarum, momentum: primum in conueniente quieto loco conſtituendus eſt aegrotus: extrema oſſis fracti ad ſe inuicem ſunt adducenda et adaptanda, inque hoc ſitu, quamdiu res exigit, retinenda, ſymptomata auertenda vel mitiganda, ſequelae praepediendae.

DCCXXXIX. Et primo quidem ſaepe ſaepius opus eſt, vt aegrotus de loco, in quo pasſus eſt fracturam, ad alium qui debitam tractationem admittat, *transportetur* inque ſedili vel lecto idoneo *collocetur*. Cautiſſime autem hic procedendum eſt membrumque aequabiliter et firmiter ſubleuandum, quum violenta concuſſio vel rudior contrectatio grauiſſima ſymptomata inducere valeat. Puluinare, craſſiore charta circumdato, commode excipitur crus fractum. Lectus ad curandas tales fracturas aptiſſimus iudicatur, qui cum ſufficiente longitudine non nimis largus eſt, vbique acceſſum facile admittens, ſtragulis planis, duriusculis, inſtructus.

DCCXL. Extremorvm *repositione* in situ naturali non opus est, si illa a se inuicem non recesserint, vnde, nisi tumor inflammatorius obstet, ad deligationem procedi potest. Si vero adsit deuiatio extremorum reductionem poscens, haec statim antequam intumescentia vel phlogosis accedat, molienda est. Inflammatione autem, siue violentiae, siue fragmentorum stimulo, siue sponte iam prognata, eius mitigatio exspectetur. Reductio ipsa quo facilius in fractis ossibus artuum cylindricis succedat, ea membro laeso concilietur directio aut positura, qua musculi operationi maxime renixuri relaxantur, quamque cognitio anatomica indigitat. Parte membri superiore, immobili, firmata, inferior vel manu vel laqueo iniecto, rarissime machina, extendatur, vi ad superandam musculorum resistentiam sufficiente pedetentim adhibita, donec fragmenta ad naturalem situm sese receperint. Vim autem extendentem inter fracturam atque proximum articulum agere debere, ne musculorum relaxationi obstet, neque intermedia articulatione frangatur, et pro varia fracturae sede et indole, extremorum figura et distantia, musculo-

rum

rum resistentia, varium virium gradum esse impendendum, sua sponte patet. Parte ossis fracti per integumenta prominente et repositionem impediente, quod saepissime de extremo superiore valet, non ad huius resectionem sed ad vulneris dilatationem recurrendum est.

DCCXLI. Vt vero fragmenta ad se inuicem reducta *in situ* naturali ad perfectam reunionem seruentur, praeter lectum idoneum iam expositum, quoque ad deligationem ipsam, ad membri deligati posituram, ad obstacula nascitura attendendum est. *Apparatus deligationis* ad fracturas reductas firmandas varias requirit fascias, ferulas, ligamenta et splenia. Inter *fascias* illa, quae ab octodecim capitibus nomen habet, ex tela linea vel lanea diuersimode concinnata, in omni fractura artuum inferiorum, etiam simplici, circulari dictae praeferenda est: neque in extremorum superiorum fracturis omitti debet, si aegrotus lecto adfigitur. Quippe multifida ista vinctura absque notabili membri adfecti incommodo vel deuiantium fragmentorum periculo remoueri iterumque iniici potest, vnde frequentiorem fracturae inspectionem permittit, in

complicatis maxime neceſſariam. *Emplaſtra* ac linimenta, circa fracturam adplicata, merito repudiantur, ſiquidem nihil boni praeſtant, ſed perſpirationem impediendo, pruritum, puſtulas, quinimo phlogoſin inducendo ſaepe vehementer noceant. *Ferulae* firmando oſſi fracto, non comprimendo tumido ac inflammato fracturae loco inſeruire debent: hinc breuiores reiiciantur, longiores vero vtrumque oſſis laeſi articulum excedentes, adque partis conformationem adcommodatae, vt excipiant eminentias ſeque demittant in concaua, certiſſime praeferendae, facie partem ſpectante rite obducta. Talium ferularum beneficio varii, cauti tamen membri laeſi motus, maximo cum aegroti leuamine, concedi poſſunt. *Splenia* variae figurae, longitudinis, craſſitiei, prout varia fracturae ratio poſtulat, ad efficiendam partis adfectae aequabilitatem et loci ſpecialis, ſi qua fuerit neceſſaria, compreſſionem, adque excipiendum pus inſeruire poſſunt. *Ligamenta* denique diuerſa adhibentur: ad firmandas ferulas modo deſcriptas lora coriacea ipſis adfixa praeferuntur. Quoad firmitatem adparatus notandum, in vniuerſum

ſtrictio-

ſtrictiorem deligationem nociuam eſſe, et tunc quoque ſi ferulae extrema rite excipiant. Ad *ſitum* membri deligati quod ſpectat, in genere talis eſſe debet, vt muſculi, quoad fieri poteſt, relaxentur, totum membrum aequaliter ac firmiter ſuſtineatur ac aegroti commodo proſpiciatur. Situs lateralis ac inflexus extremitatum inferiorum inde omnino praeferendus; lecti autem plumoſi indole, vulneris externi ſitu, aegroti commodo, non raro ad eligendam membri collocationem in parte poſteriore cogimur: ſemper tamen curantes, vt crus fractum paulo eleuatius iaceat adque exteriora aliquantulum inclinet. Patellae vero vt et olecrani fractura ſitum membri magis extenſum requirere videtur: in illa quoque ſublimius collocandum eſt. Quod deligationis repetitionem ſpectat, in vniuerſum rarior praeferenda eſt, praecipue vbi neque dolor vrget, neque longitudo membri mutata eſt. Complicatio autem varia, frequentem partis inſpectionem exigens, toties deligationem neceſſariam reddit.

DCCXLII. Vltima denique indicatio haec eſt vt *ſymptomatibus* atque *ſequelis* occurratur.

In

In genere quidem, quamprimum in fractura ſimplice rite reducta et firmata ſunt extrema, dolor ceſſat neque facile inſurgunt ſymptomata. Egregium deinde praeſidium poſitum eſt in quiete corporis et animi, diaeta ſtricta, neque tamen a ſolito vitae genere nimium recedente, aëre puro atque munditiei cura. Si ante *inflammationis* acceſſum aduenint Chirurgus, membro fracto rite diſpoſito illa magnam partem auerti poterit epithemate frigido, diſcutiente, adſtringente. Quodſi vero tumor et inflammatio iam adſint in notabili gradu, ad emollientia recurratur, neque intempeſtiuis et repetitis ſanguinis miſſionibus vires aegroti ſuppurationi inſequenti impares reddantur. *Suppuratio* modica ſimplicium abſceſſuum et vlcerum medelam, nimia vero attentiſſimam partis adfectae perluſtrationem fontisque purulentiae indagationem et puris liberum effluxum poſcit. Hic inciſione, dilatatione varia, corporum alienorum extractione, ſitu idoneo, ſpleniis vel linteo carpto ad ſinus admouendo, deligatione frequentiore, laxiore, facilitatur. Requirit quoque nimis copioſa ſuppuratio vt emollientia vitentur, vtque vires

res diaeta nutriente et cortice Peruuiano intus assumto sustententur. Pus excipiatur spleniis, linteo carpto, spongia, linteo cerato, ne fasciae inquinentur hincque frequentioris deligationis necessitas nascatur. *Gangraenae* imminenti aut praesenti ad methodum expositam occurratur, quod etiam de *anchylosi*, *oedemate*, *marcore* valet. Ne extrema coadunata a se inuicem *deuient* quod in fractura obliqua maxime a musculorum actione, prauo situ, imprudenti membri laesi motu, subsultu nocturno, deligatione incauta metuendum est, circumspecta opus est cura. Auertitur autem hocce vitium, sanationem retardaturum et difformitatem creaturum, situ relaxationi musculorum fauente, quiete absoluta, spleniis loco deuiationis admotis, deligatione, si res tulerit, strictiore, firma membri sustentatione. Machinae variae ad hunc scopum inuentae, multimode emendatae, vsu quidem non vltra debitum terminum protracto optatum praestant effectum; diutius vero adhibitae cutis irritationem, excoriationem, inflammationem huiusque sequelas et varia alia incommoda inducere solent. Clauiculae tamen fractura, obliqua praesertim,

omni-

omnino poſtulat extenſionem ſuſtentatam hincque ſcapularum immobilitatem, cui indicationi ſingularis thorax et aliae machinae reſpondent. *Calli* vitio therapia cauſſae cognitae oppoſita medetur. Sic *deficientis* generatio promouetur habitu morboſo congruis auxiliis correcto, fragmentis obſtaculum faceſſentibus ablatis, extremis debite coadunatis et retentis, membrana intermedia, cuius ſuſpicionem crepitus ſub fracturae motu haud percipiendus mouet, diſſectis partibus mollibus remota, cruſta alterutrum vel vtrumque oſſis fracti extremum obducente frequenti horum ad ſe inuicem attritu deleta vel ſerrulae cautiſſime adhibitae miniſterio reſecta, in vniuerſum denique deligatione laxiore. *Exceſſus calli* minime circulari fracturae compresſione coercetur, ſed rita fragmentorum coaptatione et retentione praepeditur.

DCCXLIII. In fractura oſſis cuiusdam *planioris et breuioris*, qualia truncus habet, ea quae de extenſione et reductione (DCCXLI) diximus, locum non habent, neque ſitus firmandus hic multam requirit operam. Vnde curatio fere in ſola adplicatione adparatus contentiui dicti, quiete

quiete et ſymptomatum praecautione conſiſtit. Grauiora ſunt omnia, vbi adeſt oſſis *comminutio* vel partium mollium ruptura, vnde tantum ſaepe naſcitur periculum, vt cultro recidenda ſit pars adfecta. Quo tamen confugere non decet, niſi omnia alia auxilia fefellerint. *Fragmenta* oſſea plane ſoluta, ob figuram ac ſitum nociua futura, non ſecus ac corpora aliena, quam primum res fert, prudenter remoueantur.


DCCXLIV. Qvae hactenus de fracturis in genere propoſuimus, facili negotio ad *ſpeciales* adplicantur. Quas ſigillatim pertractare inſtituti ratio non ſinit, praecipue quum ſingularum curatio maxime in manualibus conſiſtat, non niſi autopſia et exercitatione capiendis.

DCCXLV. Anteqvam vero a fracturis diſcedamus, notaſſe iuuabit, omnia quidem corporis humani oſſa ſub adlatis conditionibus vero callo reuniri poſſe, ſola tamen *patella* excepta. In hoc enim oſſe ſubſtantia celluloſa interarticularis, ligamenti mucoſi nomine nota, fragmentis oſſis, extenſo praecipue crure, ſeſe interponens, vaſa ex vtroque extremo prodeuntia in-

terci-

tercipit concurſumque mutuum praeuertit. Vnde patet in hac fractura vanam eſſe anxiam calli exſpectationem et diuturnam membri extenſionem atque quietem.

DCCXLI. In vniuerſum quoque tenendum, concretionem vulnerum et vlcerum cum deperdita ſubſtantia vix et ne vix quidem ſoli partium depreſſioni attribui poſſe. Vaſa enim, non ſecus ac in callo oſſium, ex ambitu vulneris vlcerisue produci demonſtrat textura cicatricis, calli et concreti ſolidi cuiuslibet ſtructura, quippe in qua vaſa ex vna parte in alteram progredientia, iniectione repleta, diſtincte obſeruantur.



SEC-

SECTIO IV.

MORBI EX SITVS MVTATIONE.

DCCXLII.

Svb morborum in mutato ſitu poſitorum claſſe omnes illi ſunt conſiderandi, in quibus ſolida quaedam corporis humani pars vel plures e ſede ſua natiua *dimotae* inueniuntur. Vnde liquet hic excludi varia ſitus partium vitia congenita, vtpote vix et ne vix quidem medicabilia.

DCCXLIII. Morbis huc pertinentibus fere commune eſt, vt viſu vel ſaltem tactu *cognoſci* poſſit malum, ſaltem quoad genus: partibus nempe continentibus vel relaxatis vel diſſolutis.

DCCXLIV. Coeterum *diagnoſis*, *prognoſis* et *therapia* horum adfectuum nihil habet, quod de omni eorum vniuerſitate valeat.

DCCXLV. Qvintvplex autem hic datur diuiſio: conſtituit enim ſitus mutatus vel *Hernias*, vel *Prolapſus*, vel *Deuiationes*, vel *Luxationes* vel denique *Diaſtaſes*.

CAPVT I.

HERNIAE EARVMQVE CVRATIO.

DCCXLVI.

HERNIAM *dicimus* egreſſum partis cuiusdam mollis, in cauo notabiliore contentae, in aliud cauum praeter naturam exortum, extus haud patulum. Vnde intelligitur, quomodo differat hernia a prolapſu aut inuerſione, vtpote cauum naturale neque clauſum ſupponente, ab aneurysmate et aliis morbis.

DCCXLVII. PRAECIPVAE et frequentiſſimae herniarum ſpecies in *abdomine* occurrunt: ſuis tamen obnoxium eſt et *pectus* et *caput.*

Herniae abdominales.

DCCXLVIII. QVAE in imo ventre occurrunt, quaeque ſolae herniarum nomine inſigniri conſueuerunt, plures admittunt *differentias.*

DCCXLIX. ET primo quidem quoad *ſedem* ampliſſimus abdominis ambitus, violentiae viscerum protruſionem creaturae nusquam fere non ſubiectus, ſingularibus ſaltem opportunitatibus eorumdem elapſui fauens, multiuarias admittit

mittit herniarum ſpecies. Sic foramina natiua vaſis maioribus tranſitum concedentia ſollemnioribus anſam praebent herniis. Per *vmbilicum* exorta, infantibus, foeminis, obeſis familiaris, vmbilicalis, ſeu Exomphalus ſ. Omphalocele ſalutatur: per *annulum ſpermaticum* prorumpens hernia inguinalis ſeu Bubonocele, et vbi ad *ſcrotum* progreditur tumor, ſcrotalis dicitur, viris fere propria, in dextro latere frequentior: ſub *arcu ligamenti Fallopiani* vaſis iliacis ſubterlabentibus parato erumpens, in ſexu ſequiori ſollemnior, inguinalis externa, femoralis, cruralis, Merocele, Oſcheocele audit: per *ſulcum foraminis oualis*, vaſa obturatoria dicta transmittentem, inter pectinaeum et adductorem muſculum iter ſibi parans, oualaris nuncupatur: per *inciſuram iſchiadicam* denique ſiue ſupra ſiue infra ligamenta prorumpens, ſeque vel ſub glutaeo muſculo vel ad ani latus manifeſtans, iſchiadica nominatur. Per *diaphragmatis* denique aperturas, oeſophagum, vaſa maiora, neruum intercoſtalem transmittentes, contenta abdominis in pectoris cauum irrumpere tumoremque hernioſum, nullo ſenſu detegendum, formare poſſunt.

Quae vero in nullo oſtio natiuo locum habet, hernia *ventralis* ſeu Hypogaſtrocele audit. Haec contingere poteſt, vbicumque fibrae vel transuerſim vel ſecundum longitudinem a qualibet cauſſa abs ſe inuicem diductae interſtitium formant, vel muſculi aut aponeuroſes cum integumentis in ſacci ſpeciem relaxantur. Talibus herniis ventralibus viam praebere poſſunt circumferentiae oſtiorum naturalium, linea alba ſupra vel infra vmbilicum, cartilaginis enſiformis latera, linea ſemilunaris, regio epigaſtrica, iliaca vtraque, hypogaſtrica, muſculorum rectorum vagina, lumbi, dorſum carnoſum, perinaeum, omne denique abdominis, quousque oſſeo fulcimento caret, punctum. Quinimo totam ventris partem anteriorem in ſacci figuram dilatari tumorisque hernioſi ſpeciem formare poſſe obſeruatione conſtat. Quid? quod ipſa vagina, matrix, veſica vrinaria, ſiue prolapſa ſiue inuerſa, cauum excipiendae viſcerum parti idoneum parare valet.

DCCL. Magna porro herniis abdominalibus intercedit diuerſitas quoad *partes contentas*, quum nullum imi ventris viſcus inde exemtum

ſit.

ſit. *Omentum* quidem ac inteſtinum tenue, *Ieiunum* nempe ac *Ileon* vna cum *meſenterii* parte frequentiſſime hocce dislocationis genus ſubeunt; rarius *Duodenum*, *Coecum*, *Colon*, *Rectum*. Praeterea quoque *ventriculum*, *hepar*, *ligamentum* eius *rotundum*, *lienem*, *pancreas*, *veſicam vrinariam*, *vterum*, *ouaria*, *tubas* vterinas, aberrationi in ſinum alienum ſubiecta eſſe certa experientia euictum eſt. Quae partes omnes, quum non ſemper immutabilem in abdomine ſitum habeant, hernias producere poſſunt, a ſolita ſede ſatis deuias, diuerſaeque indolis laticem continentes. Vnde patet totuplex fere nomen ſortiri herniam abdominalem, quot partes imus venter includit: ſic datur Epiplocele, Enterocele, Gaſtrocele et ſic porro.

DCCLI. Tertia herniarum differentia deſumitur a diuerſo partium elapſarum numero: *ſimplex* vocatur, quae ſingulo quodam viſcere; *compoſita* vero, quae pluribus vna vel ſucceſſiue egreſſis formatur. Prioris exempla ſint Epiplocele et Enterocele, poſterioris Enteroepiplocele. Simplex hernia deinde, quoad viſcera praecipue membranacea, vel *incompleta* eſt, quando vnus

 ſolum-

ſolummodo paries viſceris tumorem herniofum ingreditur, vel *completa*, vbi nempe tota ſuo diametro illud elapſum eſt. Incompleta iterum vel *appendicularis* vel *ſacciformis* inuenitur. In ſingulo homine binas, quinimo plures hernias adeſſe poſſe ſua ſponte patet.

DCCLII. Magni denique momenti differentia herniarum ex diuerſa earum *cauſſa* noſcitur. Quae quidem multiuaria eſt: triplex tamen hoc reſpectu datur herniarum genus: haereditariarum nempe, congenitarum et acquiſitarum. Hernia *haereditaria* peculiarem partium diſpoſitionem a parentibus propagatam ſupponit, qua conſpirante leuior deinde cauſſa occaſionalis talem elapſum inducere valet. Vnde non raro ſtirpes per plures generationes herniis notatae obſeruantur. *Congenita* autem hernia, in ipſo foetu iam oborta, pro diuerſa partium continentium vitioſitate varia eſt. Praecipuam tamen attentionem meretur inguinalis, in qua omentum vel inteſtinum teſtem embryonis in ſcrotum deſcendentem, antequam peritonaei pars protruſa vaginalem tunicam formatura ſuperius clauſa fuerit, tam preſſo pede ſequuntur, vt immediatus par-

partium egreſſarum cum albuginea teſticuli tunica contactus et ſuccedens ſaepe concretio inde oriatur. *Acquiſitae* denique herniae cauſſae ſollemnes ſunt violentiae externae, vti vulnus, ictus, lapſus, operationes chirurgicae variae; motus corporis vehementiores, in ſaliendo, currendo, equitando, onera geſtando, eleuando, femora diuaricando, corpus bracchiis ſuſpendendo, in genua procumbendo, veneri nimium litando; reſpirationis niſus fortiores, tuſſis, ſternutatio, ſuctio, violenta ſpiritus emiſſio; variae cauſſae *internae*, ſpasmum, diſtenſionem, relaxationem inducentes, vti animi pathemata, hydrops, tympanitis, infarctus, tumores morboſaeque conformationes viſcerum; ingeſta copioſiora, flatulenta, pinguia; neque non varia retenta, vti faeces, vrina, flatus, lumbrici, calculi.

DCCLIII. Aliam, dignitate tamen nulli priorum ſecundam, herniarum diuerſitatem parit varia earum aetas et conditio. Alia enim eſt *recens* nata, alia *inueterata*. Vtraque iterum vel *mobilis* eſt, reductionem ſine difficultate admittens, vel *immobilis*, ob nuper obortum impedimentum vel concretionem quamdam cum par-

tibus vicinis, reponi nescia. *Saccus* deinde herniosus variat: peritonaeum nempe aut extensum solum aut ex abdomine protractum in recentibus herniis tenue, in veteribus crassius, in vniuersum herniam obtegit, exceptis tamen nonnullis herniis, quae subito in insignem molem excrescunt, vel laeso per praeuiam vulnerationem vel vlcerationem peritonaeo accidunt, quae circa vel ad vmbilicum prodeunt, vesicalibus denique et diaphragmaticis.

DCCLIV. VLTIMVM inque curatione palmarium discrimen *symptomata* suppeditant, quippe quae herniam vel simplicem vel complicatam reddunt. Quae hoc respectu *simplex* salutatur, hernia, mobilis est, repositioni non obstat, neque grauioribus stipatur molestiis. *Complicatam* vero constituunt symptomata ex laesa partis egressae peruiatione ac functione in vniuersum natales ducentia, quam caussam *incarcerationem* dicere solemus. Incarceratio aut acuta est vereque inflammatoria, aut spasmodica, aut ex sola herniae immobilitate, vel ex partium, tum exitum permittentium, annuli nimirum aut sacci herniosi, tum in sacco contentarum vitio nasci potest.

poteſt. Verae cauſſae indagatio in tractatione quam maxime eſt neceſſaria. Strangulatio ab *annulo*, acuta plerumque et ſtatim ab initio inflammatoria vel in herniis recentibus paruis obuia, contentis vi quadam inſigni per annulum numquam antea dilatatum protruſis; vel in herniis vetuſtis, maiore maſſa violenter propulſis, exoritur. *Saccus* hernioſus incarcerationem parit, non adeo acutam, vbi ſuperna parte coarctatus, incraſſatus, cicatrice obductus eſt: quod quidem in variis ſimul locis fieri poſſe obſeruatione conſtat. Partes denique *contentae* maiore copia, hiatui annuli impare, varia circumuolutione, tumore inflammatorio, excrementorum, flatuum, corporum alienorum, liquidi copia diſtendente aut comprimente ſtrangulationem producere poſſunt.

DCCLV. Tvmor, verae herniae ſimilis, quem ſaccus hernioſus non reſtitutus format, cum illo morbo non confundendus eſt: ſicuti etiam diuiſio herniarum in *veras* et *ſpurias*, vt pote definitioni (dccxlvi) repugnans, omnino reiici debet.

DCCLVI. Commvne herniarum abdominalium *principium* vel eſt fulcri parietum viſcera continentium debilitatio aut ablatio, vel ſuperior iſtorum renitentia: qua illa in ſaccum praeternaturalem extra abdominis cauum prominentem coguntur. *Cauſſas* huc facientes vidimus.

DCCLVII. In vniuerſum herniarum *diagnoſis* maximam Chirurgi attentionem poſtulat. Quae in anteriore abdominis parte, in regione quadam (dccxlix) allata, ſubito et cum dolore exoritur, digitis diſtincte ſentienda, tumorem elaſticum, flexilem, maiorem formans, ſub tusſiendo digitum admotum pulſans, ſub ſpiritus retentione aluique deponendae conatu intumeſcens vel durior euadens, a preſſione aut decubitu reſupino diſparens, ſitu mutato aut editis conatibus rediens, haud difficulter dignoſcitur, et aeque facili negotio ab abſceſſu, bubone, anthrace, parorchidio, comparatis nempe horum morborum ortu, progreſſu et ſymptomatibus, diſtinguitur. Parua, profunde ſita, lente exorta, immobilis, alio tumore iuncta, multum humorem continens, in obeſis praecipue, difficilius et non raro ex ſolis ſignis rationalibus, ſympto-

ſymptomatibus nimirum ſuperuenientibus et vix vmquam certe cognoſcitur.

DCCLVIII. Specialia diuerſarum herniarum ſigna quod attinet, hernia inteſtinalis ſeu *Enterocele* dignoſcitur tumore citius increſcente magis elaſtico, interdum fluctuante, aequabili, rotundiore, ad aperturam abdominalem anguſtiore, a contrectatione ſaepiſſime murmur edente, frigore aliquatenus contractili, calore autem expanſili, ſub receſſione ſtrepitum faciente, accedentibus denique ſymptomatibus impeditae viae inteſtinalis. Herniae omentalis ſeu *Epiploceles* notas ſiſtit tumor in regione ventris omento pendulo vicina tardius increſcens mollior, minus aequabilis, quoad ſenſum quaſi paſtaceus, latiore baſi praeditus, difficilius et ſine ſtrepitu recedens, ſignis tenſionis partium ſtipatus. Ventriculi hernia ſeu *Gaſtrocele* noſcitur tumore in epigaſtrio ad latus mucronis aut in linea alba vel in regione vmbilicali exorto, difficulter, ſi paruus et ſimplex fuerit, ſentiendo, cum anorexia, vomitu et cardialgia habituali, ſymptomatibus ſub horizontali corporis ſitu, euaneſcente ſimul tumore, leuatis. Herniam vteri ſeu *Hyſterocelen*

len declarant protuberantia dura, renitens, e pelui pone ossa pubis per annulum aut supra pubem emergens, pro parte vel plane reductilis, grauiditatis verae; in quo casu foetus motus in tumore persentitur; siue spuriae signis praesentibus, mutata colli orificiique vterini directio, motus denique in presso tumore externo et explorata vteri ceruice synchronus. Vesicae vrinariae hernia, seu *Cystocele* sese prodit tumore hernioso in hypogastrio, perinaeo, vagina, detegendo, si vesica vacua sit, membranas crassas flaccidas referente, si lotium contineat, fluctuationis sensum edente, retenta vrina aucto, eadem emissa detumescente, cum mingendi difficultate nisi prematur tumor, quo facto illico insequitur mictio. Tumor herniosus *plures partes* simul continens ex mixtis singularum signis diiudicatur. Reliqua ex vberiore tractatione elucescent.

DCCLIX. Signa *incarcerationis* pro diuersa huius ratione partisque egressae natura quidem variant: in vniuersum tamen non solum partis elapsae, verum etiam aliarum cum eadem consentientium functiones laesae obseruantur. Vnde sue-

ſucceſſiuē tumori hernioſo ſuperueniunt inflatio, dolor tenſiuus, calor, immobilitas; dolores ex ſacco in abdomen progredientes; tormina, nauſea, vomitus omnium aſſumtorum, chyloſus, bilioſus, ſtercoroſus; obſtipatio pertinaciſſima, excepta forte hernia inteſtinali incompleta, et excrementorum infra ſtrangulationem reſidentium excretione; febris inflammatoria (CXCII) phlogoſi extetnum quoque tumorem corripiente, ſi ſicca fuerit hernia, ad partes contentas autem limitata, ſi liquor interſtitialis maiore copia adfuerit; meteorismus, ſingultus: quae ſymptomata, maxime ſi ſpaſtica fuerit incarceratio, per plures horas ſubſiſtere, ſed aucta deinde vehementia recrudeſcere ſolent, donec gangraena (CDLXXIII) ipſaque mors accedat. Strangulationis ortum ex *annulo* conſtricto declarat citum ſymptomatum inflammatoriorum incrementum, eo quidem velocius, quo minor adeſt annuli dilatatio vel partium protruſarum copia, quo vegetior toroſiorque aegrotus; tum quoque tumor hernioſus elaſticus, tenſus, ſumme dolorificus, preſſionem circuitus annularis haud tolerans, ſuccedente reductione pedetentim cumque

ſymp-

ſymptomatum leuamine disparens, ſacco hernioſo, niſi recens fuerit protruſio, remanente. *Saccum* vero in cauſſa eſſe noſcitur ex diuturno braccherii vſu praegreſſo, maiore tumoris, globi renitentis inſtar, mobilitate, reductione, ſi fieri poteſt, vno impetu ſuccedente, absque ſacci, ſi parua nuperque renouata fuerit hernia, remanſione aut ſymptomatum leuamine. Accumulatis in inteſtino egreſſo *corporibus*, huiusque inde nato torpori tribuendam eſſe incarcerationem cognoſcimus ex lentiore tumoris hernioſi inflatione, in principio vix aut ne vix quidem dolorifica, ſenſu corporis paſtacei, elaſtici, irregularis, prout vel excrementa vel flatus, vel corpora aliena in hernia ſunt intercepta, tardius ſaepeque poſt plures demum dies accedentibus ac lentius increſcentibus ſymptomatibus. *Partium egreſſarum*, omenti praeſertim, circumuolutione, contorſione, conſtrictione, ſtrangulationem accidiſſe, operatione inſtituta demum certe diſcitur, hernia integra vero, coniectura tantum attingitur, ſignis nempe iis, quae ex conſtrictionem ſacci naſcuntur, ſymptomatum poſt reductionem factam perduratione analogis, alio

reſpec-

reſpectu diſſimilibus. Signa quae *adhaeſionem* partium elapſarum aut inter ſe aut cum ſacco hernioſo, eiusque naturam agglutinatiuam, fibroſam, fungoſam, totalem intimumque coalitum indicant, ex hernia vetuſtate et longiore extra abdomen mora, partiali aut totali immobilitate absque incarcerationis notis, interdum tamen cum hoc ſtatu iuncta, deſumuntur: certitudine tamen carent, donec inciſio adhibita clarius eluceſcat mali natura.

DCCLX. Qvoad *prognoſin* herniarum abdominalium notandum eſt, nullum tumorem hernioſum periculo carere, quamuis ſaepe ſaepius per multos annos quinimo per totam vitam absque noxa feratur. Rite reducta et retenta hernia non ſolum pericula auertuntur, ſed radicalis nonnumquam ſanatio efficitur. Recens hernia in ſubiecto iuniore coeteris paribus curatu facilior eſt, quam inueterata in aetate prouectiore. Situs horizontalis diuturnus, morbus adipem conſumens, quinimo inflammatio et abſceſſus ad ſanandam herniam haud parum conferunt. Herniae inteſtinales paruae periculoſiores ſunt quam maiores, omento ſimul egreſſo

aut

aut ſolum protruſum vel hernia aliud viſcus continens. Incarceratio ſubitanea inflammatoria, grauibus ſymptomatibus mox ſtipata, aegrotum in maius vitae diſcrimen adducit quam lentius accedens. Doloris repentina ceſſatio, incarceratione haud ſoluta, tumorisque flacciditas et alia Gangraenae ſigna mortem imminentem declarant. Saepe tamen gangraena, externam tumoris hernioſi rupturam inducens, ſtrangulationem ſoluit, talesque aegroti aut remanente ano artificiali aut radicaliter haud raro ſanantur. Quae in loco manum Chirurgi non admittente exoritur, hernia communem reliquarum medelam reſpuit.

DCCLXI. Herniarvm abdominalium *curationem* quod ſpectat, in vniuerſum duplex eſt prout partes egreſſae vel reductionem admittunt vel minus. In priori caſu intra ventrem reponendae inque ſitu naturali retinendae ſunt. Quodſi illud fieri nequeat, obſtaculi ablatio molienda, hisque conatibus perinde irritis pars elapſa ſuſtentanda, ſymptomatibus que medicina paranda eſt.

DCCLXII.

DCCLXII. Et primo quidem ſitus *reductioni* fauens in genere talis eſſe debet, vt fibrae muſculares, quae tranſitum partium conceſſerunt, relaxentur, vtque elapſa proprio pondere ad naturale receptaculum vergant. Hinc pro diuerſa herniae ſede ac ratione ſitus in dorſo, pelui pectoreque leuatis, genubus inflexis, trunci ad latus herniae oppoſitum inclinatio aut pedibus ſuſpenſio ad plerarumque herniarum ſpontaneum regreſſum, vel adiuuandam ſaltem Chirurgi operam, egregie conducunt. Ipſa reductio tunc inſtituitur leniter reprimendo partes protruſas ad aperturae directionem vel partium elapſarum tractum: hinc in hernia inguinali extrorſum et ſurſum, in crurali introrſum, in vmbilicali ac ventrali ad perpendiculum propellendae ſunt. Veſicae vrinariae atque inteſtinorum craſſorum euacuatio praemiſſa optime facilitat repoſitionem. Haec in hernia ſimplice absque notabili difficultate aut cum aut ſine murmure ſuccedit, ſacco hernioſo vel vna recedente vel extra pylas remanente.

DCCLXIII. Partivm reductarum *retentionem* ſingulare vincturae genus, *braccherium* dictum,

ad herniae ſedem ac rationem adcommodatum, praeſtare ſolet. Varia quidem braccheria inuenta ſunt: ſimpliciſſimum tamen et vſitatiſſimum ſiſtit lamina ferrea, clauis capitatis vel bracteis inſtructa et corio aut tela firma obducta, ad interiora inſtar pilae referta, cingulo firmiori adfixa, loro perinde obducto, mobili, inter crura traducendo praedita, quod rite admotum id commodi habet, vt in anteriore parte pro neceſſitate magis minusue adſtringi queat. Alii braccheria praeferunt compoſita elatere abdomen circumeunte vel verſus pilam in ſpiralem figuram inflexo vel in ipſa pila comprimente incluſo, praedita, quippe quae recte adaptata loro cruribus interiiciendo, plerisque incommodo, carere poſſunt; at vero haec non ſine iteratis tentaminibus et variis mutationibus ita adaptantur vt ſcopo ſatisfaciant. Notandum porro, laminam loco herniae admouendam, non ſolum pro diuerſa aegroti ſtatura, quoad magnitudinem, verum etiam pro varia herniae ſede, quoad figuram differre debere. Sic hernia inguinalis longiorem et obliquiorem, cruralis breuiorem, vmbilicalis rotundam, ventrales pleraeque ouatam

tam volunt: pila denique comprimens in obesis magis protuberans et firmior, in macilentis planior et mollior esse debet. Remanens saccus herniosus vsum braccherii non excludit; aliis vero partibus haud reductis illud haud impune admouetur.

DCCLXIV. Qvod si partes egressae *reduci nequeant*, nullis incarcerationis qualiscumque symptomatibus praesentibus, suspensorio idoneo fulciendus est tumor. In minore tali hernia perizoma puluinari concauo instructum conducere, et partes elapsas leni ac duratura compressione lente versus interiora reduci posse obseruatione compertum est.

DCCLXV. Redvctione autem propter praesentem *incarcerationem* haud succedente, sedulo inquirendum est, quaenam sit caussa huius obstaculi, quo apta parari possit medicina.

DCCLXVI. Incarcerationi vere *inflammatoriae* occurritur auxiliis antiphlogisticis. Ab internis medicamentis in hoc statu eo minus sperandum esse patet, quum assumta mox vomitu reiiciantur, plurimaque irritationem tubi intesti-

 nalis

nalis augeant. Oleoſa tamen blanda, acidulis mixta, ac lenia opiata cum fructu adhibentur; emetica vero, purgantia et ſalina in hacce ſtrangulationis hernióſae ſpecie noxae ſuſpicionem non effugiunt. Praecipuus e contrario cardo vertitur in externis cito ac ſtrenue adhibendis. Sanguinis ex largo venae vulnere ſubitam et copioſam miſſionem ad animi deliquium vsque protractam, proque re nata repetitam, reductionem, quae etiam in hoc ſtatu prudenter tentanda eſt, efficaciter adiuuare, certa experientia conſtat. Neque minus inſignis vtilitas eſt localis ſanguinis eductionis ex regione annuli, ſcarificationum et hirudinum ope inſtitutae. Contrectationes hernioſi tumoris et molimina hunc reducendi, ob metum phlogoſeos facile exinde in gangraenam tranſiturae, cautiſſime neque niſi praeuia liberali venae ſectione vſurpentur. Aqua frigida vel ipſa glacies tumori impoſita egregie interdum facilitat regreſſum partium: neque tamen eiusmodi auxilium in vſum vocari debet, niſi in principio morbi praemiſſaque ſufficiente ſanguinis detractione: neque vltra ſex horas adminiſtrandum eſt. Emollientia vero et relaxan-

relaxantia abdomini quidem annulique circumferentiae vtiliter adplicari possunt, sed ipsi tumori admota valde suspecta habentur. Clysmata demulcentia oleosa ad excrementorum eductionem turbarumque intestinalium sedationem cum fructu adplicantur; fumi tabacini salisue soluti iniectio non nisi incipiente incarceratione et circumspecte administretur, ne inflammatis iam intestinis irritatio malum certe adauctura superveniat. His omnibus prouide atque strenue adhibitis, symptomatibus tamen ingrauescentibus in sola herniotomia, tempestiue instituta, quaerenda est aegroti salus, quam operationem, frigida praesertim antea admota, haud differre oportet: gangraenae vero iam praesentis indicia sacram hancce anchoram excludunt.

DCCLXVII. Eadem fere tractatio in incarceratione *spasmodica*, vtpote semper, si paullo grauior fuerit, cum inflammatione iuncta, conducit, opii tamen vsu interno et externo, ad annulum nempe adplicato, haud neglecto. Neque symptomatum induciae, nisi reducta fuerit hernia, fallacissimae Chirurgum a strenua horum auxiliorum administratione reuocare debent,

 quum

quum aucta vehementia iterum insurgere soleant.

DCCLXVIII. Incarcerationi denique *lentae*, ab accumulatis faecibus flatibusue vel intestini inertia obortae, therapia hactenus exposita, nisi grauia phlogoseos simul praesentis occurrant signa, minime conuenit: largis saltem et repetitis sanguinis missionibus abstinendum est. Manipulationes vero variae, reducendi tumoris caussa institutae, frigida admota, clysmata stimulantia, imprimis tabacina, securius et diutius in vsum vocantur. Calida, relaxantia, emollientia in hacce incarcerationis specie suspicionem incurrunt. Repetito repositionis tentamine inutili, compressio herniae ope manus per aliquot horas continuata, mitior primo, sensim magis aucta, rebellem interdum morbum superauit. Quos tamen conatus haud admittit tumor ad contrectationem valde dolens. Succedente demum reductione neque altius haerente constrictione, symptomata cessare solent et canalis alimentaris plenaria peruiatio sumto leni laxante antiphlogistico haud difficulter restituitur. Irrito autem quocumque molimine herniam reducendi,

di, magis magisque vrgentibus ſymptomatibus, ad operationem refugiendum eſt.

DCCLXIX. Institvitvr *Herniotomia* ſeu tumoris hernioſi inciſio eo ſcopo, vt partes elapſae denudentur, viisque, quas remeare nequeunt, ampliatis reponantur vel ſaltem a ſtrictura moleſta et periculoſa liberentur. Encheireſis ſequens eſt: *cutis* tumorem obtegens, inciſione hunc excedente, aut integumentis ſub hernia plicatis aut, ſi tenſio et inflammatio adfuerit, parua apertura facta, ſuper ſpecillo ſulcato diuiditur. Tela tunc *celluloſa*, plures ſaepiſſime lamellas ſiſtens, forcipe et ſcalpello, qualibus ad diſſectiones cadauerum vti ſolemus, a ſacco ſeparatur. Denudatus deinde *ſaccus*, maiore aequabilitate et transparentibus contentis non raro dignoſcendus, eodem artificio parua nempe plaga aperitur, inmiſſoque ſpecillo ſulcato cultrum ducente per totam ſacci longitudinem dilatatur. Quam nonnulli propoſuerunt, ſacci hernioſi non aperti repoſitio neque in herniis inueteratis poſſibilis, neque in iis, quae partium incluſarum corruptionem, aut incarcerationem ſacci culpa factam, aut liquidum acre in hoc

contentum produnt vel minantur, tuta eſt. Dilatato ſacco Chirurgus *vias*, quae viſcera transmiſerant, ampliare ſatagit, cui ſcopo culter curuatus, apice nodato planiore praeditus, vel ſpecillum ſulcatum et communis cultellus chirurgicus optime inſeruiunt. Ea autem directione inſtituatur eoque vsque protrahatur inciſio, vt quantum fieri poteſt fibris tendineis parcat. Absque vlla annuli inciſione, ſolius inſtrumenti dilatantis ope illum ampliari poſſe, tentamina docuerunt; nobis autem eiusdem dilatatorii vſus felicius ſucceſſit, annulo in anteceſſum paulſulum inciſo. Praegreſſa viae ampliatione et ſtrangulatione exinde orta remota, *reductio* egreſſorum, ſi horum conditio non obſtet, ad regulas (DCCLXII) expoſitas inſtituatur. Quod ſi illa corrupta inueniantur, therapia in vulnerum abdominalium hiſtoria (DCX. XI) adducta conuenit. Concretio leuior (DCCL. IX) partialis cautiſſima ſeparatione tollenda eſt, totalis, firma, ſupra annulum extenſa reductionem non admittit. Partibus autem nequidquam coalitis, annuloque ſatis dilatato ſi non ſuccedat reductio, immiſſo ſpecillo vel digito explorandum eſt,

vtrum

vtrum ipſe ſaccus vel altior in eodem aut omento ſtrictura in culpa ſit, qua detecta altius ille incidendus erit. Reductione demum rite peracta, leues ventris concuſſiones prodeſſe ac alui ſolutione per leuius quoddam laxans antiphlogiſticum promota ſymptomata minui vel plane ceſſare ſolent.

DCCLXX. At vero poſt factam repoſitionem perdurare poſſunt *ſymptomata*, quoties inueterata et ingentis ſimul molis eſt hernia, vel vehemens adeſt phlogoſis in ipſum abdomen ſeſe extendens, vel ileus accedit, vel ſaccus hernioſus contenta violenter ſtringit, vel coalitus, ſtrictura aut ruptura omenti locum habet, quorum ſigna atque medelam antea expoſuimus. Ea autem, quae olim propoſita fuit, abdominis inciſio, ſupra annuli regionem inſtituenda egreſſarumque partium retractio ob incertam internam tumoris hernioſi conditionem vix et ne vix quidem tuto adhiberi poteſt.

DCCLXXI. Vlterior chirurgi cura verſatur in *praecauenda herniae recidiua*, id quod vario modo obtinere ſtuduerunt. Et primo quidem ſacci hernioſi vna cum funiculo ſpermatico ligatura

tura herniae reditum certo quidem prohibet, ob inſequentem tamen teſticuli iacturam omnino reiicienda. Repreſſio ſacci, vt annulus inde obturetur, in vetuſtis herniis non niſi praegreſſa totius ſacci ſeparatione locum habet, neque vmquam aequabiliter annulum infarcit. Reſectio partis ſacci et remanentis mediante ſutura vnio, Regia olim dicta, vix optatum effectum praeſtat. Cauſtici vſus difficillime ita dirigitur, vt ſufficienter deſtruatur ſaccus, neque funiculus ac aliae partes vicinae laedantur. Idem de filo aureo circa ſaccum et funiculum ſimul ducto, puncto aureo perperam dicto valet. Ad radicalem denique curationem efficiendam, recentiores totum ſaccum haud apertum ab omni parte aque ipſo funiculo ſepararunt: inciſo deinde, poſtque reductionem contentorum aliquomodo attracto ligaturam prope annulum iniecerunt. Hanc operationem, licet longam, doloris, quin imo in ſubiecto ſenſibiliore diſcriminis plenam, ſi ligatura rite inſtituta fuerit, ſcopo ſuo egregie reſpondere experientia comprobauit. Notandum tamen, ſacci ſeparationem faciliore negotio ſuccedere digito in ſaccum apertum immiſſo,

quam

quam ſolius cultri miniſterio. Eadem radicalis cura obtineri poteſt, ceruice ſacci ſcarificata, celluloſa forficis conuexae ope reſecta, ſuppuratione denique larga et compreſſione ſpleniorum atque braccherii ope per plures menſes continuata.

DCCLXXII. Qvod poſt operationem supereſt, *vulnus* inſtar vulneris ac vlceris ſimplicis tractatur: praecipue noxia turundarum vel alius corporis alieni in abdominis caueam immiſſio vitetur, leni compreſſione vlceris, diaeta conueniente, debita corporis quiete, haud neglectis, braccherioque per aliquod tempus poſt operationem adhibito.

DCCLXXIII. Cavendvm quoque ne ad herniotomiam in hernia mobili haud incarcerata recurratur, ſiquidem in hoc caſu funeſtum interdum habet euentum. Hernia in prolapſu vaginali, vterino, veſicali, inteſtinali, inuoluta ipſius procidentiae medelam ſequitur.

DCCLXXIV. Qvae hactenus de herniis abdominalibus in vniuerſum diximus, facili negotio ad ſingulares earum ſpecies adplicari poterunt.

Her-

Herniae thoracicae.

DCCLXXV. Ad cauum pectoris vix vmquam tumores herniosi a partibus contentis oborti occurrunt. Quod si tamen ob natiuum vel praeternaturalem fulcri earum defectum *Pneumonocele* acciderit, conueniente tumoris retropressione idoneoque fulcimento, fasciae caute adstrictae ope praestando, medela tentatur.

Herniae cephalicae.

DCCLXXVI. Ad caput nonnullae herniarum species locum habent, *Encephalocele* nempe et *Staphyloma*, quibus adnumerari possent Hydrophthalmus et hernia sacci lacrymalis, alibi pertractata.

Encephalocele.

DCCLXXVII. Hernia cerebri, siue Encephalocele est tumor herniosus a cerebro vel cerebello per hiatum ossium cranii egresso formatus. Cognoscitur ex protuberantia, quoad locum, figuram, magnitudinem diuersa, cuti nisi inflammatio aut gangraena superuenerit, concolore, indolore, plerumque fluctuante, margine ossis deficientis ad circumferentiam tumoris sentiendo.

tiendo. *Principium* huius morbi eſt defectus ſubſtantiae oſſeae in cranii quadam parte, ſiue natiuus ſiue accidentalis, vnde paries encephalum fulciens et coercens in eo loco adeo debilitatur, vt iſtius pars per hiatum prorumpat. Cauſſae talem hiatum cranii inducentes ſunt collectio ſeroſa ſub quadam thecae oſſeae parte oſſificationem impediens, preſſio diuturna, partus difficilis, violentia externa, mechanica oſſis ac durae matris diſſolutio, ſubſtantiae harum partium deperditio. Encephalocele vel *ſimplex* eſt, quae rariſſime occurrit, vel *compoſita*, cum colluuie ſeroſa, purulenta, quinimo Hydrocephalo et Spina bifida coniuncta. *Symptomata* in principio morbi parum notabilia aut nulla obſeruantur: aucto autem tumore, praecipue ſi occiput occupet, paralyſis, conuulſio, ſopor et alii adfectus grauiſſimi, cerebri laeſionem indicantes mortemque ſecum vehentes, oriuntur. *Curatio* huius mali, ſemper incerta et ambigua, potiſſimum verſatur in leniſſima tumoris compreſſione, ſpleniorum roborantibus adſtringentibus imbutorum ope praeſtanda perque plures menſes continuanda: ſic paruas hernias encephali

cura-

curatas eſſe legimus. Maiores vero, occipitales praeſertim, praeter cautiſſimum tumoris munimentum, vix vllam admittunt medelam.


Staphyloma.

DCCLXXVIII. Staphyloma *eſt* tumor vt plurimum mollis, membranaceus, extus in cornea vtraque protuberans, humorem aqueum ſolum vel vueam impulſam continens; nonnulli quoque verum vueae prolapſum per plenariam corneae perforationem ad Staphyloma referunt. Principium morbi ſaepius in corneae rarius in ſcleroticae praeternaturali attenuatione, eleuatione, protruſione ac expanſione quaerendum eſt, vnde nimirum tumor formatur, loco, magnitudine, figura, colore, numero, ſymptomatibus varius, corneam, bulbum, ipſumque viſum diuerſimode laedens aut plane deſtruens. Remotis mali *cauſſis* adnumerantur intempeſtiuus remediorum emollientium, relaxantium, acrium, ſepticorum, adſtringentinm vſus, morbilli, variolae, ophthalmiae variae, maxime cum acrimonia lacrymarum iunctae, veſiculae, puſtulae, vlcera, vnguis, hypopium, contuſiones, operationes

ones variae, corneam nimis tenuem reddentes. Incipiens autem ſtaphyloma ſternutatione, tuſſi, vomitu et alia violentia, ſanguinem in capite accumulante, augeri, auctum ad rupturam deduci poteſt. *Symptomata* ſtaphyloma concomitantia ſub morbi initio vel nulla vel leuia ſunt et per longum tempus tolerari poſſunt absque noxa, quum tumor vix viſum laedat, niſi pupillae oppoſitus ſit. Increſcens vero pupillamque offuscans, viſionem turbat et denique abolit: vltra palpebras extenſus fluxiones ſeroſas acres, purulentas, inflammationem habitualem, exulcerationem, concretionem, excreſcentiam fungoſam peſſimam, dolores immanes, quin imo rupturam tunicarum inducere poteſt, vnde iterum humorum oculi effuſio bulbique cancroſa corruptio, altero oculo ob intimum conſenſum ab adfectu et periculo vix vmquam immuni. Hinc liquet, *prognoſin* huius morbi valde ancipitem eſſe. Quoad *therapiam* caute abſtinendum eſt ab auxiliis pharmaceuticis et chirurgicis, quae malum exacerbare poſſent. In leuiore autem, neque complicato ſtaphylomate partium roboratio, remediis tonicis adſtringen-

tibus

tibus caute admotis efficienda, leuisque compressio, fasciae aut machinae idoneae ope administranda, vt naturalis tunicarum conuexitas restituatur, indicantur. Causticorum congruam adplicationem suadent alii; si vero his tolli nequeat causticique vsum non ferat tumor, eius exstirpatio siue ligatura, si petiolatus fuerit, siue cultro perficienda commendatur. Maximus mali gradus interdum humorum oculi eductionem poscit. Vueae ex vulnere prolapsui cita eius reductione, praeuia, si opus fuerit, vulneris dilatatione medendum est; si vero egressum iam corruptum fuerit, resecandum est; visus tamen abolitionem vix vmquam effugit aegrotus. Symptomatibus variis ad methodum expositam occurritur.



CAPVT

CAPVT II.

PROLAPSVS.

DCCLXXIX.

PROLAPSVM seu procidentiam dicimus talem partis cuiusdam mollis dislocationem, vt tumor haud tectus externe appareat, vnde patet quomodo differat ab hernia.

DCCLXXX. COMMVNE Prolapsuum *principium* est fulcri totalis ablatio aut partium retinentium insignis relaxatio, aut tumor morbosus partem e natiua sua sede foras protrudens.

DCCLXXXI. QVVM vero procidentias, quae laesiones *capitis*, *thoracis*, *abdominis* sequuntur, in vulnerum historia iam exposuerimus, considerandi nunc supersunt *prolapsus oculi*, *linguae*, *vuulae*, *vaginae*, *vteri* et *intestini recti*.

Exophthalmus.

DCCLXXXII. EXOPHTHALMVS seu Prolapsus oculi *est* bulbi ex orbita praeternaturalis protuberantia, vt palpebris contineri nequeat, quae vel ex totius bulbi volumine, eius hydrope, hypopio, inflammatione graui, cancro ad-

aucto, aut, immutata bulbi mole, ab exoſtoſi, apoſtemate, tumore cyſtico, ſcirrho vel cancro vicino, hydatidibus intra orbitam prognatis, adipe in eadem cauea accumulato, vel denique ex muſculorum bulbum introrſum trahentium vel rectorum, ſaluis obliquis, relaxatione *naſcitur*. Vnde patet, exophthalmum, quamuis facillime ſenſus incurrat, attentiſſimam tamen cauſſae explorationem requirere. *Symptomata* pro morbi gradu atque indole varia ſunt, viſus deprauatio, abolitio, dolor in principio mitis, obtuſus, circa orbitae fundum, deinde grauior cum adfecti lateris hemicrania, ſtupore partium faciei, interdum etiam ſymptomatibus neruoſis, morte non raro ſubſequente. *Prognoſis* huius morbi, vtpote ſemper fere ſymptomatici, pro varia eius cauſſa atque gradu diuerſiſſima eſt: interdum omnem medelam reſpuit malum. *Curationis* cardo vertitur in ablatione cauſſae, ex praegreſſa horum morborum tractatione eluceſcente. Quodſi cauſſa mali bulbo ſeruato attingi nequeat aut eiusdem cancroſa labes vicinarum partium infectionem minetur, miſerum in exſtirpatione refugium ſupereſt.

Para-

Paraglosse.

DCCLXXXIII. Paraglosse, seu Glossocele, linguae extra cauum oris prolapsus aut cum mira eius intumescentia aut absque adaucta eius mole accidere potest. Prius ab inflammatione grauiore, metastasi serosa, purulenta, catarrho, incauta hydrargyrosi, tumoribus basi linguae vicinis nascitur: posterius a musculorum linguam retrahentium paralysi, vigente exerentium actione, vel spasmodica aut conuulsiua musculorum linguam extrorsum ducentium adfectione, laesi encephali saepe sequela, oritur. In vtroque casu *medela* caussae mali adcommodanda est.

Hypostaphyle.

DCCLXXXIV. Hypostaphyle seu vuulae prolapsus *est* inflammatae, attenuatae, resolutae, incrassatae, vlceratae, bicornis vuulae procidentia, cum molestia, deglutiendi difficultate, tussi, vomendi conatu, sputo fere continuo, respiratione et loquela interdum simul laesa. In cuius *curatione* ad caussam respiciendum est, prout haec vel in phlogosi, vel in colluuie serosa, paralysi, relaxatione cet. posita est. Interdum quoque partis adfectae enormis moles ac gra-

uitas diuturnum incommodum creans, amputationem proprio instrumento vno ictu perficiendam poscit.

Exania.

DCCLXXXV. Exania seu prolapsus ani *est* intestini recti inuersi procidentia variae longitudinis et crassitiei, reductionem, nisi incarcerata fuerit, admittens, minore mole, annuli; maiore, botuli formam referens. Morbus, infantibus imprimis familiaris, varias adgnoscere potest *caussas*, clamorem nempe, planctum, tussim vehementem, diuturniorem in sella perforata sessionem, conaminosam alui exonerationem, ventris fluxum, tenesmum, mictum partumque laboriosum, paralyses. *Symptomata* pro morbi gradu ac stricturae vehementia esse possunt impedita faecum emissio, dolor, tumor, inflammatio et gangraena, intra ipsam abdominis caueam protracta, quaecumque denique incarcerationem herniosam sequi solent: quid? quod adtractio partium elapsae vicinarum verum tumorem herniosum inducere potest. Eodem modo *prognosis* pro diuerso morbi gradu, ingenio, caussa, complicatione variat. *Chirurgia* praescribit caussae

cauſſae ablationem, et egreſſi reductionem, poſt praeuiam enematis adplicationem ſuſcipiendam, quam ſi recuſet tumor, therapia, qualis herniae incarceratae conuenit, adhibeatur, factaque rêpoſitione inteſtinum ſitu, quiete, faſciatione, enematum adſtringentium ope retineatur. Quod ſi non ſuccedat et habitualis exania etiam extra alui deiectionem prorumpat, peſſarium, veſica veruecina, braccherium proprium in auxilium vocatur. Partem reduci neſciam, gangraena occupatam cultro vel ligatura cum ſucceſſu exſtirpatam eſſe legimus.

Hyſteroptoſis et Elythroptoſis.

DCLXXXVI. Hysteroptosis *eſt* vteri ipſius, Elythroptoſis vaginae vterinae procidentia. Ambobus prolapſibus *commune ſignum* eſt protuberantia in vagina vel extra eam obuia, reductionem, in initio ſaltem, admittens, doloribus ad renes et inguina pertingentibus, ſenſu ponderis in hypogaſtrio, inceſſu difficili, teneſmo, incontinentia vel retentione vrinae ſtipata. *Elythroptoſis* vel ſimplex eſt vel cum prolapſu aut inuerſione vteri, deſcenſu veſicae vrinariae aliaue tumore hernioſo complicata. Simplex ab inte-

interioribus vaginae tunicis efformari ſolet, ſeque manifeſtat protuberantia annulari, irregulariter plicata, cõllo ac orificio vterino dimiſſo aliquantum digito inducto ſentiendo, ſub erecto corporis ſitu increſcente, ſub quieto recubitu minuta: neglectis auxiliis augetur et elongatur, Androgynae ſpeciem creat, intumeſcit, apertura plicata ſanguinem menſtruum fundente. Prolapſus vaginae *cauſſa* debetur ſaepiſſime ponderis grauioris geſtationi, immodicae greſſioni, aerumnoſae ventris depoſitioni, rudiori vaginae tractationi, calidorum emollientium abuſui, praematurae poſt partum orthoſtadiae, omnibus denique, quae vaginam debilitare valent. *Hyſteroptoſis* vel ſimplex eſt vel duplicata: vtraque iterum vel incompleta eſt vel completa. Prolapſus vteri *ſimplex* dicitur, quoties matrix, ſalua fundi ſui ab orificio diſtantia, in vaginam deſcendit. Incompletus noſcitur tumore inferiorem vaginae partem excedente, figurae inuerſe pyriformis, apertura transuerſali in extremo perforato, baſi ſatis libere prominente vt digitus eam circumire poſſit. Completum autem declarant tumor volumine maior,

rima

rima orificii vterini magis deſcenſa, vagina ſimul inuerſa, quae in vetuſto prolapſu colorem cutis induit, grauiora denique tenſionis partium vicinarum ſymptomata. Simplex vteri prolapſus aut extra grauiditatem aut ſub praegnationis initio vel progreſſu, aut inſtante partu accidere poteſt. Peluis apertura, inferior praeſertim, nimis ampla, grauiditas abnormis, motus animales immodici, maxime niſus vehementior, partus laborioſus et obeſitas, ſollemniores ſunt cauſſae huius morbi. *Duplicatum* vteri prolapſum diſtinctionis cauſſa dicimus illum, qui plerumque Inuerſio vteri audire ſolet, quod quidem vocabulum cum Retroverſione, mox dicenda, confundi poteſt. Etenim talis inuerſio duplicem ſupponit procidentiam: deſcenſum nempe inferioris ſegmenti vteri magis minusue notabilem et protruſionem fundi vteri per orificium internum. Incompleta cognoſcitur protuberantia fere hemiſphaerica, ſubaequale, inferius non perforata, vteri collo tamquam annulo cincta, dolore acuto, teneſmo, niſu vterum magis magisque inuertente, inflammatione, interdum gangraena, et aliis

 ſymp-

ſymptomatibus grauioribus ex irritatione generis neruoſi oriundis, citam ſaepe mortem ſecum vehentibus. Completam declarat tumor volumine maior, cruentus, laeuis, imperforatus pedunculo molli ſuſpenſus, orificio vteri cinctus, ſaepe ſymptomatibus ominoſis adlatis breui morte exceptis ſtipatus. Huius mali cauſſa praeter adductas ſunt partus praecipitatus et placentae ante ſpontaneam ſolutionem vterique contractionem rudis attractio. Omnis Hyſteroptoſis a polypo ex hoc viſcere progerminante ſeu Cercoſi, (CCCLXXXIII) comparatis vtriusque morbi notis characteriſticis, facile diſtinguitur. *Curatio* verſatur in tumore reducendo, reducto firmando, cauſſaeque mali, quousque fieri poteſt, ablatione. *Reductio* prolapſus emiſſa in anteceſſum vrina depoſitaque aluo ad directionem vaginae perficitur. Difficilior decubitum horizontalem diuturnum clunibus leuatis, venae ſectiones et reliquam therapiam phlogiſticam exigit. Cautiſſime tamen manipulationes ſuas inſtituat chirurgus, ne malum rudiore reductionis tentamine augeatur. Vteri grauidi procidentia, ſi ob prouectam geſtationem malique vetuſtatem reprimi neque-

nequeat, fafcia congrua ille fuftentandus eft lectoque adfixa maneat mulier, donec folitum grauiditatis terminum attigerit. Tunc, lenta cautaque orificii vterini dilatatione facta, foetus cum placenta extrahantur et matrix contracta in fitum natiuum reponatur. Idem incifo vtero cum fucceffu peractum effe legimus. Partem egreffam, quinimo ipfam matricem gangraenofam felici *fectione* exftirpatam effe narratur. At vero tam ancipiti operationi therapia gangraenae (CDLXXVI) viriumque naturae fuftentatio praeferenda videtur. *Retentio* partium reductarum poft prolapfum incompletum non raro cautiffima cauffarum remotarum vitatione, quiete ac vfu remediorum adftringentium roborantium aromaticorum, fub forma epithematis, iniectionis, vaporis admotorum, efficitur. Nifi haec fuccedant, partes in fitu firmentur fpongia, peffario plano, rotundo, ouato, melius longo cylindrico perforato, inferiorem vteri partem excipiente, vel elaftico vario, fafciarum aut braccherii ope fuftentato, munditiei cura et catameniorum ratione femper habita.

DCCLXXXVII. PROCIDENTIA ſiue inuerſio vaginae vel vteri, vel harum partium diſſolutio ſiue relaxatio partialis, veſicam, inteſtinum, omentum excipiens, ex ſignis herniarum generalibus diiudicatur. Repoſitione facta peſſario idoneo elaſtico praecipue retinentur.

Exocyſte.

DCCLXXXVIII. EXOCYSTE ſeu prolapſus vel inuerſio veſicae *adeſt*, quoties membrana interna vel plures corporis aut colli veſicae vrinariae per vrethram procidunt: quod non niſi in ſexu ſequiori fieri poſſe per ſe patet. *Contingit* vero quum tunicae veſicae relaxatae per vrethram ampliorem inuerſae tumorem rotundum, mollem, membranaceum formant, qui vrethram obſtruit et veram iſchuriam veſicalem (DCXXII) inducit; aut quum vrina ad vretheris inſertionem inter tunicas veſicae adcumulata interiores per vrethram inſtar veſiculae tenuis diaphanae, lotio refertae propellit, iſchuria vretherica ſimul praeſente. Interna denique tunica colli veſicae ac vrethrae in tumoris oblongi, rugoſi, perforati ſpeciem cum extrema min-

mingendi difficultate inuerti poteſt. *Curatio* eadem fere, quae in Hyſteroptoſi conuenit. Reductionem requirit ac cerei in veſicam immiſſionem, tonicorum et quietis beneficio adiutam. Vrinae inter veſicae tunicas adcumulationi occurritur inciſione veſicae protruſae et lotii eductione.



CAPVT

CAPVT III.

DEVIATIONES.

DCCLXXXIX.

DEVIATIONEM vocamus ſitum partis cuiusdam praeter naturam mutatum absque tumore ſenſibili externo. Cuius praecipua genera ſunt *Blepharoptoſis*, *Hyſteroloxia* et *Parorchidium.*

Blepharoptoſis.

DCCXC. BLEPHAROPTOSIS ſeu Ectropium *eſt* marginis palpebrae inuerſio externa aut interna, vel in ſingula vel in vtraque palpebra accidens, foedam difformitatem inducens. Cui vitio variae cauſſae anſam dare poſſunt, partim externam palpebrarum cutim breuiorem reddentes, ſicut vulnera, vlcera, ambuſtiones, cicatrices; partim palpebram intus prementes et inuertentes, ſicut varii tumores. Vnde patet *curationem* huius morbi eſſe diuerſiſſimam. Eam tamen, quae ex cicatrice externa et inde orta cutis contractione pendet, haud congrue quidem inciſione ſemilunari externa, ſed potius interna partis coniunctiuae extrouerſae reſectione ſanari poſſe

poſſe nouiſſimis experimentis conſtat. Quae a tumore interiori naſcitur palpebrae extrouerſio non niſi illo in anteceſſum ablato medelam admittit. Blepharoptoſis *interna*, ciliorum verſus bulbum inuerſioni hincque opthalmiae chronicae et aliis malis iuncta, aut a tumore vario, partes palpebrae externas occupante aut a qualicumque membranae interioris contractione huiusue irritatione ortum ducens, prudentem cauſſae remotionem, marginis introuerſi reductionem ope emplaſtri adhaeſiui, et ſi omnia fallant, mediante inciſione et partis tegumenti externi reſectione praeſtandam exigit.

Hyſteroloxia.

DCCXCI. HYSTEROLOXIA eſt ſitus vteri intra abdomen contenti a Naturae norma deuians. Varium eſt hocce vitium: poteſt enim vel antrorſum, vel dextrorſum aut ſiniſtrorſum, vel retrorſum inclinari matrix. At vix, niſi grauidus fuerit, tali deuiationi obnoxius eſt vterus, vel ſaltem noxae ex ſitu mutato in ſenſus incurrunt. Deuiatio *anterior* ex inſitione placentae anteriore muſculorumque debilitate or-

tum

tum ducens, cognoſcitur inſolita abdominis ſupra pubem propenſione, orificio vterino altius collocato osque ſacrum plus minus reſpiciente. Vnde varia profluunt incommoda, praecipue vrinae retentio vel eius incontinentia, tenesmus, inceſſus moleſtus, partus difficilis lentus, ab indirecto vteri actione oriundus. Inclinatio ad alterutrum *latus* debetur inſitioni placentae laterali ſeu ligamentorum vterinorum oppoſiti lateris debilitati. Declaratur ventre iuſto minus ad anteriora prominente, protuberantia obliqua ſub progreſſu geſtationis increſcente, fixa, in qua foetus motum ſentire licet, extremitate inferiore eiusdem lateris non raro ſtupore occupata, claudicante, varicoſa, glandulis inguinalibus tumidis, femore et crure ſub ipſo partu dolente, orificio vterino latus oppoſitum ſpectante, partu deinde tardo et difficili ob actionem vteri a peluis axe recedentem. Attamen haecce Hyſteroloxiae ſpecies non adeo inſignem orificii vterini aberrationem inducere valent, quum ob laxiorem vteri impletionem pars inferior potius aliquantum inflecti debeat. Ceterum mala ex laterali matricis grauidae deuiatione tempo-

tempore partus auertuntur, actionem vteri idoneo situ, pressione, vinctura, versus axin peluis dirigendo, quod si non succedat, ad tempestiuam foetus extractionem recurrendum est. Deuiatio vteri *posterior* nonnisi in primis grauiditatis mensibus accidere qotest, vbi nempe eius fundus increscens nimis eminenti ossis sacri promontorio adpressus, posterius inter intestinum rectum et vesicam reflectitur. Noscitur exploratione intestinali ac vaginali, orificio vterino difficulter attingendo versusque anteriora et superiora directo, vrethrae ac vesicae situ simul plus minus mutato. Symptomata huius deuiationis grauissima certam denique mortem inferunt, nisi aut viribus Naturae, mole vteri increscente natiuus eius situs restituatur, superata denique ossis sacri resistentia aut reductio artis ope aegrota genubus atque cubitis innixa, leuato peluí, depresso thorace, digitis Chirurgi in anum et vaginam immissis, succedere possit.

Parorchidium.

DCCXCII. Parorchidium est vnius vel vtriusque testis situs a naturali sede aberrans, cuius variae obseruantur species. Et primo qui-

quidem *ſerior teſtium deſcenſus* aut plane in abdomine hoſpitantium, ſcroto tunc vacuo, aut in pylis, cum graui ſaepe aegroti moleſtia, haerentium inſtarque monticulorum protuberantium, vel iam in receptaculum ipſis dicatum delapſorum, quod frequentiſſime ante partum vel ſtatim a natiuitate fieri ſolet. Cauendum ne talis protuberantia pro tumore hernioſo habeatur et compreſſione vexetur, eoque facilius hic error ſubrepit, ſi forte tertius teſtis deſcenſurus monticulum illum efformet aut morbus cum hernia complicatus ſit. Ars ad citiorem teſtium delapſum confert, vehementi corporis motu, adplicatisque emollientibus externis. Annuli dilatatio, niſi vrgeant ſymptomata, vix vmquam ſuadenda videtur, cum inſequenti herniae viam ſternat. Porro teſtis vnus vel vterque ſymptomatice a morbo viarum vrinariarum, renali praeprimis, aut adfectione ſpasmodica, vel morbo ipſius teſtis funiculiue, inceſſu citatiore, inſueto, vrinae ſtimulo diutius cohibito, ſurſum verſus annulum *retrahi* poteſt, quod quidem malum non niſi ablatione cauſſae cognitae curatur. Teſtem vero adulti rite in ſcro-

tum

tum delapſum violentia externa vel manipulatione per pylas in ventrem *reprimi*, variasque exinde noxas induci poſſe vix fidem meretur. Inter deuiationes teſtis denique referendus eſt *nimius eius deſcenſus* a reſolutione cremaſteris, laxitate funiculi aut ipſius ſcroti, ortum trahens, ſuſpenſorio admoto et frigidae aliorumque tonicorum adſtringentium adplicatione difficulter remouendus.



CAPVT IV.

LVXATIONES.

DCCXCIII.

Lvxatio eſt oſſis mobilis cuiuscunque a naturali ſua ſede a varia cauſſa demotio.

DCCXCIV. Qvae ad talem dislocationem praedisponunt, *cauſſae* ſunt iuſto maior ipſius oſſis mobilitas, aut partium articulum firmantium debilitas, ſiue haec congenita fuerit ſiue adquiſita. Occaſionem praebentes vel externae ſunt vel internae. Ad externas pertinent variae violentiae, extremitati oſſis mobilis dimouendae pares, praegreſſa praecipue luxatione: internae ſunt quae validam muſculorum actionem, os e ſua ſede dimouentem, excitant, aut reſiſtentiam partium minuunt vel deſtruunt, aut articuli cauum vsque adeo implent, vt os exinde protrudatur. Quo referenda ſunt diuerſa, muſculorum motus vehementior ſiue voluntarius ſiue conuulſiuus, paralyſis, ligamentorum debilitas aut laxitas, tumor, collectio ſynouiae, apoſtema, hydrarthron, varii oſſium tumores et excreſcentiae, maſſae celluloſo-vaſculoſae, glandula-

dularum synouialium nomine insignitae, scirrhosa intumescentia.

DCCXCV. Lvxationvm *signa* in vniuersum notantur varia, maiorem vel minorem certitudinem habentia. Praecipua sunt caussa praegressa, impotentia motus liberi ossis luxati partialis vel plenaria, dolor plus minus grauis, protuberantia ad nouam partem occupatam, cauitas ad partem ab osse relictam, musculorum in parti luxationi opposita tensio, extremi non luxati ad eamdem regionem conuersio, membri vt plurimum aucta vel imminuta longitudo. Vnde adparet, quantam lucem hic adfundat anatomica partium articulum constituentium cognitio. At ne haec quidem dirimit dubia, quae in diiudicanda ossis minoris et profundius siti luxatione, praesertim si tumor iam occupet partes superiacentes, occurrere solent.

DCCXCVI. Mvltiplex est luxationum *diuersitas*. Et primo secundum caussam diuiduntur in illas, quae *a caussa externa*, et illas, quae ab *interna* ortum trahunt. Quoad gradum luxatio vel *completa* est, quando nempe os cauum

aut ſuperficiem articularem plane deſeruit, quod quidem articulationibus vagis liberiorem motum admittentibus ſollemne eſt; vel *incompleta*, vbi margini aut minori ſuperficiei articularis parti adhuc inſiſtit os luxatum, longitudine membri minus mutata, quod in articulis gynglimoidibus frequentius fieri ſolet; vel *ſubluxatio* adeſt, quando os in ſuo articulo aliquomodo fuit dimotum, absque tanta deuiatione, quae extus ſenſibilis ſit et communibus luxationum phoenomenis ſtipetur; vel denique luxatio eſt momentanea, *diſtorſio* plerumque dicta, ſi os quoddam mobile a violentia externa quidem ex ſua ſede expellitur, ſtatim tamen in locum natiuum redit, vnde adeoque figura partis non mutatur, neque alia adſunt ſymptomata, quam tenſionis et contorſionis effectus. Quot vero oſſa mobilia in corpore dantur, tot habentur luxationum ſpecies, e. g. *maxillae inferioris, vertebrae, clauiculae, humeri* et ſic porro. Pro diuerſa denique ſede, quam dimotum oſſis extremum occupat, luxatio eſt *ſuperior* vel *inferior, anterior* vel *poſterior, exterior* vel *interior*. Quartam differentiam creat origo; ſic alia luxatio eſt *recens*,

cens, alia *vetuſta*, alia *ſubitanea*, alia *lenta*. Porro quoad ſymptomata valde a ſe inuicem discrepant luxationes: ſunt enim vel *ſimplices*, nonniſi communibus luxationum phoenomenis ſtipatae, vel *complicatae*, cum arteriae, venae, nerui, tendinis, medullae ſpinalis preſſione, tenſione, vellicatione, dolore grauiore, ſtupore, paralyſi, phlogoſi, oedemate, marasmo, necroſi, ſpasmo, vulnere, ruptura, fractura, diaſtaſi, anchyloſi aut alio quocumque morbo coniunctae. In omni fere luxatione completa, ex cauſſa externa nata, aliqua ſaltem datur complicatio, disruptio nempe ligamentorum, ſiue iſthaec ab oſſe diſſoluta, ſiue rupturam, extremum oſſis transmittentem, paſſa fuerint.

DCCXCVII. In luxationum *prognoſi* notandum eſt, ſymptomata complicationis adlata, mali vetuſtatem, ſedem in articulatione fortioribus ligamentis et muſculis munita, gynglimoide praecipue, cauſſam internam lente prognatam, minus laetum ſuppeditare praeſagium. Inueterata luxatio omnem medelam reſpuere ſolet; haud parua tamen hic datur latitudo; ſiquidem poſt plures demum menſes praeterlapſos liga-

 men-

mentis ope emollientium relaxatis repositionem successisse compertum est. Quae neque reducta neque, vt artis est, tractata fuit, luxatio omnino motus integritatem tollit; at os expulsum temporis lapsu nouum sibi parare cauum motumque satis liberum recuperare posse, experientia euictum est.

DCCXCVIII. Ad *curationem* luxationum in vniuersum quod spectat, triplex hic datur momentum: os e suo cauo dimotum reponendum inque pristina sede firmandum, symptomatibus denique occurrendum est.

DCCXCIX. Partis luxatae *repositio* generatim quantocyus est instituenda, nisi symptomata grauissima, non quidem ab ipsa ossis protrusi pressione, sed a violentia praegressa ortum ducentia, vel fractura ossis dimoti, aliiue morbi, irritamentum ex partis extensione metuendum haud laturi, differre reductionem iubeant. Omne autem tentamen vetat impossibilitas obstaculum auferendi. Reductio absoluitur extensione resistentia et redaptatione. *Extensio*, si fieri potest, in ipsius ossis luxati altero extremo, ob

ob rationes in fracturarum curatione (DCCXL) dictas, inſtituenda lenta atque gradaria ſit, ad reſiſtentiam muſculorum, gradum deuiationis, ipſius denique luxationis indolem proportionata, et ſemper in ea directione fiat, vt muſculi articulum circumdantes aequabiliter relaxati maneant, quo facto longe minores vires extendentes ſufficiunt. Fit autem vel ſolo manuum miniſterio, quod reducendis luxationibus ex paralyſi et relaxatione ortis haud impar eſſe ſolet, aut laqueorum, aut niſi hi ſufficiant, machinarum ope; poſteriorum tamen paucae omni indicationi ſatisfaciunt. Neque haecce auxilia cuti admoueantur, niſi in anteceſſum retracta et circumuolutis linteis munita fuerit. *Reſiſtentia* paratur laqueis et mantilibus, ſi locus permittat, ipſi oſſi, ex cuius cauo detruſum eſt alterum, admotis, vt durante extenſione illud, quantum fieri poteſt, immobile reſtet. Facta tanta extenſione vt oſſis luxati caput mobile euadat marginique caui derelicti appropinquet, *repoſitio* perficienda eſt. Haec ſponte ſuccedere ſolet, ſi ad debitam directionem atque gradum inſtituta fuerit extenſio; ſin minus, leniore capi-

 tis

tis oſſis deuii verſus caueam articularem motu, altero extremo ſimul in oppoſitam partem acto, regreſſus efficitur, cauendo tamen, ne rudiore motu pars marginis articularis cartilagineae inuertatur aut in acetabulum trudatur, neque ipſi articulo contuſio inducatur, vnde peioris notae luxatio, ex impletione caui articularis naſcens, aliquando profluere poteſt. Luxationem completam, muſculis ac ligamentis vegetis circumdatam, maiorem extenſionis gradum requirere difficiliusque reponi; porro oſſa parua, profundius vel tali modo ſita, vt extenſionem ac reſiſtentiam in ipſis oſſibus adplicandam haud ſinant, difficillime reductionem admittere, ſua ſponte patet. Rediens membri figura naturalis, doloris leuamen, reſtitutus vtcumque articuli motus, ſtridor denique ſub reductione perceptus, os in ſitum natiuum ſeſe recepiſſe indicant. Caput oſſis per fiſſuram ligamenti transgreſſum, fortiori extenſioni plane reſiſtens, leuiori membri motitatione ſuperatum eſſe et reductionem inopinato ſucceſſiſſe obſeruatione conſtat.

DCCC. Qvo facto membrum absque mora a laqueorum et machinarum preſſione liberetur,

inque

inque articulo diuerſa directione moueatur, quo ligamentum ſeu cartilago, inuerſionem vel dimotionem forte paſſa, reſtitui poſſint. Reductas autem partes *retinere* ſtudet Chirurgus. Quo quidem ſcopo vix vllo adparatu artificiali opus eſt in luxatione a cauſſa externa, illaeſo articulo, cuius nempe muſculorum atque ligamentorum robur ſatis validum ſiſtit oſſis reducti munimentum. Vbi vero luxatio internam adgnoſcit cauſſam, non ſolum ſitus idonei atque faſciationis ope ſuſtinendum et firmandum eſt os repoſitum, verum externa quoque adplicata roborantia adſtringentia in vſum ſunt vocanda. Quies membri praeterea omni luxato rite reducto conuenit, quum absque ea ſanari nequeat ruptura ligamento forte illata, quam a luxatione completa vix vmquam abeſſe monuimus: vnde hac cautela neglecta ſaepe remanet immedicabilis membri infirmitas adque motum inhabilitas. Eſt tamen modus in hac re; nimium protracta quiete dilatoque leni membri motu anchyloſis inducitur.

DCCCI. QVAE luxationem comitantur vel inſequuntur, *ſymptomata* debellanda vel ſaltem

leuanda ſunt. Inflammatio, contuſio, vulnera, vlcera, methodum medendi in ſingulorum hiſtoria propoſitam requirunt. Succedens rigiditas ſtrepitusque articuli, inunctiones et alia auxilia emollientia, in Anchyloſeos pertractatione vberius indicanda, poſcunt. Diſtorſioni occurritur repercutientium vſu, membro praeſertim frigidae mox immiſſo; quod ſi vero eiusmodi remedia non ſatis tempeſtiue admoueri poſſint, antiphlogiſticis reſoluentibusque, primum mitioribus, deinde fortioribus vtendum eſt.

DCCCII. Morbos, qui luxationes inducunt, vel rebelles reddunt, vel facile renouant, quod ſpectat, ſpasmus, paralyſis, hydrarthron, exoſtoſis, abſceſſus, luxationem inducens, talem medelam deſiderat, qualem in ſingulo malo commendauimus.

DCCCIII. Specialem luxationum hiſtoriam et therapiam ob easdem quae in fracturarum pertractatione (dccxliv) adduximus, rationes omittimus.



CAPVT

CAPVT V.

DIASTASES.

DCCCIV.

Diastasis *eſt* oſſium ſiue cartilaginum ſynarthroſi connexarum totalis vel partialis a ſe inuicem receſſus.

DCCCV. Qvi in vniuerſum *cognoſcitur* praeternaturali mobilitate, ſenſu ſpatii vacui, natiuum ſaltem ſuperantis, inter partes adfectas, interdum etiam ſtridore ſub earumdem motu.

DCCCVI. Varias diaſtaſis adgnoſcit *cauſſas*, quae in genere ſpectatae vel externae ſunt vel internae. Ad *externas* referuntur variae violentiae, quae aut epiphyſium receſſum efficiunt, qualis maxime in infantibus abſoluta oſſificatione nedum gaudentibus, vel in adultis in quibus hoc negotium tardius ſucceſſit, ſiue cum ſiue absque fractura accidere poteſt; vel ſuturas cranii, oſſium faciei, naſalium praeprimis harmoniam, dentium denique gomphoſin diſſoluunt. Cauſſae *internae* ſunt hydrocephalus in infantibus, rarius colluuies ſeroſa vel alia quaeuis accumul-

cumulatio humorum in adultis, oſſa cranii vel faciei disiungens, polypus aliusue tumor naſalis oſſeum tegmentum diuidens, conuulſio vehementior, ſcorbutus, miasma venereum, fortaſſe quoque ſingulare, hydrargyrum intus asſumtum epiphyſes dentesue ſoluens, partus laborioſior, oſſa innominata, pubis praeſertim ſeiungens.

DCCCVII. Vnde eluceſcit diuerſa diaſtaſeos *prognoſis* et *curatio.* Quippe ſimplex violentiaeque externae proles, partium ſemotarum adproximationem et retentionem poſcit: ſymptomatibus pro re nata medicina paratur: cauſſa interna, ſi nedum ablata fuerit, quantum fieri poteſt, tollenda disiunctique reunio tentanda eſt.



SECTIO

SECTIO V.

MORBI A CONFORMATIONE PRAETERNATVRALI.

DCCCVIII.

Svb conformationis praeternaturalis titulo considerandi veniunt morbi, in quibus partes corporis humani, ſolidae praeſertim, quoad fabricam a Naturae norma abludunt, variaque ſanitatis nocumenta vel formae vitia inferunt. Quorum notabiliores chirurgicamque curationem exigentes ſatis commode in tres dispertiuntur ordines, *cohaeſiones*, *abundantias* et *defectus* praeternaturales.




SVB-

SVBSECTIO I.

COHAESIONES PRAETERNATVRALES.

DCCCIX.

QVOAD cohaeſionem aut conſiſtentiam diuerſimode peccare poſſunt partes: humores diaphani pelluciditatem amittere, fluidi ſolideſcere, mollia indurari, ſolida molleſcere, diſtincta coaleſcere, motui dicata immobilia fieri queunt. Variorum horum vitiorum nonnulla, vtpote ab impeditu tranſitu cet. repetenda, in praecedentibus expoſuimus; pertractanda remanent *Cataractae*, *Calculi*, *Imperforationes*, *Anchyloſes.*



CAPVT I.

CATARACTA.

DCCCX.

Cataractam *vocamus* viſus imperfectionem, obſcurationem, abolitionem a corpore opaco pone pupillam ſito, radiorum luminis transgresſum impediente, per iridis hiatum diſtinguendo.

DCCCXI. Sollemnis huius morbi *ſedes* eſt ipſa lens cryſtallina, pelluciditate ſua naturali orbata, in quo caſu cataracta *cryſtallina* audit; minus frequens eſt capſula lentis obſcurata, cataractam *membranaceam* conſtituens; rariſſime vero occurrit *interſtitialis*, ab obscuriore muco, lentem circumdante, iſta ipſa perinde ac capſula haud peccante. Coeterum cataracta membranacea vel anteriorem vel, vt rarius fit, poſteriorem, vel denique vtrumque parietem, pro parte vel totum occupare poteſt. Eadem denique ſpecies modo *primaria* eſt, modo *ſecundaria*, ceu ex phlogoſi capſulae, haud infrequenti cataractae cryſtallinae operationem paſſae ſequela, natales trahens.

DCCCXII.

DCCCXII. Commvne cataractarum *principium* positum esse videtur in singulari humoris lentem constituentis vel capsulae canaliculos permeantis degeneratione, in concretionem plerumque proniore.

DCCCXIII. Variae dantur huius morbi *caussae* sicut violentiae externae, vulnera, contusiones, ignis actio, vapores acriores, inflammationes, metastases, diuersi oculorum morbi, intensior eorumdem adplicatio, venus immodica, miasma venereum, scrophulosum, arthriticum, dispositio haereditaria, senium. Vnde patet cataractam vel esse *idiopathicam* vel *symptomaticam*.

DCCCXIV. Differt quoque cataracta vario alio respectu. Et primo quidem quoad *consistentiam*, lens crystallina opaca vel in corporis duri, gypsei, lapidei speciem *solidescit*, vel in materiem tenuem, aqueam, mucosam, gelatinosam, purulentam, lacteam *dissoluitur*: vel etiam *mixtae* est indolis, partim nempe fluida, partim solida. Porro *volumine* ac *figura* variat: dissoluta lens vt plurimum in paulo maiorem ambitum excrescere inque figuram sphaericam mutari,

tari, folidefcens volumine minui a natiua vero figura vix recedere folet. Diuerfus deinde eft opaci *color:* frequentiffime hic gryfeus eft feu cineritius, interdum fubalbus occurrit, vel albus perlatus, luteus, viridefcens, fufcus, nigricans. Aliam cataractae differentiam diuerfus *mobilitatis* gradus, in ea percipiendus, fuppeditat. Dantur enim, quae mobiles funt, fiue in ipfo tantum humore lentis tremor feu vndulatio obferuetur, fiue tota lens iridis motui vel ad quamlibet, vel ad fingulam quandam regionem, refpondeat: dantur aliae quae nullo plane motu gaudent. Similiter quoad *adhaerentias* notabile discrimen occurrit: his enim vel caret cataracta vel minus: in pofteriore cafu inter iridem atque cryftallinam vel nullum vel magis minusue imminutum fupereft fpatium. Neque reticenda eft vfitatiffima illa diftinctio cataractae in *maturam* et *immaturam.* Priorem illam dicunt, quae tantam confequuta eft opacitatem, vt lucis radios directe in oculum incidentes non amplius transmittat, quamquam nonnullis inter cataractam atque iridem oblique tranfeuntibus acceffus detur, quorum beneficio

lucem a tenebris diſtinguere corporaque a latere poſita quodammodo deprehendere valent miseri. Immatura eſt, quae non plane impedit quo minus obiecta axi oculi reſpondentia aliqualem retinae imprimant imaginem. Vnde patet decantatam illam cataractae maturitatem, quam vocem iam inanem declarare coepit aetas noſtra, minime quaerendam eſſe in ſufficiente quadam ſpiſſitudine; ſicut quoque ex colore, vetuſtate et adpendicibus cataractae vix certi quidquam quoad conſiſtentiam concludi poſſe conſtat.

DCCCXV. Qvoad *ſymptomata* cataracta vel ſimplex eſt vel complicata. *Simplex* eſt, quamdiu ſolam cryſtallinam occupat morbus; *complicata* fit alia quacumque bulbi adfectione, humores reliquos aut tunicas corripiente, quo pertinent varii morbi humoris aquei, vitrei, inuolucri poſteriorem includentis, tunicae coniunctiuae, corneae, ſcleroticae, choroidis, vueae, iridis, retinae, nerui optici ſeu ramulorum ciliarium, quae omnia ſcrupuloſiſſimum requirunt examen; deinde quoque omnis cataracta ſymptomatica e. g. ex fluidorum labe oriunda, complicatis accenſenda eſt.

DCCCXVI.

DCCCXVI. Generalia cataractae praesentis *signa* ex definitione liquent. Specialia quod attinet, *incipientem* morbum prodit macula parua, quae, si *crystallina* lens adfecta fuerit, centro pupillae saepissime respondet, versusque latera instar nebulae euanescit, malo autem in *capsula* haerente, magis aequalis circumferentiam quoque occupat, inflammationis plerumque pedissequa. Valde diuerso tempore adulta haec macula, si anteriorem capsulae parietem teneat, superficialis; si posteriorem, profundior adparebit inspicienti, subque eius incremento lente minuitur, offuscatur, aboletur visus. Visiones adparentes corporum volitantium, absque macula vel nebula cunspicua, vitium tunicae choroidis atque retinae potius quam cataractam futuram indicant. Cataracta *solida* noscitur minore lentis volumine, maiore ab iride distantia diiudicanda; punctorum striarumque in cataractae superficie conspicuarum immutato situ atque directione; contraria et motus vndulans in cataractae superficie obseruandus, *fluidam* denotant. Si plenaria cataractae ac iridis immobilitas adsit, nullumque inter has partes spatium deprehendatur,

tur, *concretionem* earumdem *totalem* adesse suspicamur; *partialem* vero, si figuram angulatam sistat iris contracta, adque eam regionem sequacem habeat cataractam.

DCCCXVII. Pro varia huius morbi indole ac complicatione *prognosin* variare, eumque alius adfectus combinatione in genere difficiliorem reddi, per se patet. Gryseum, albicantemue colorem laetioris notae, glaucum vero, flauum, nigricantem magis ominosam esse putant.

DCCCXVIII. Cataractae *medela* in sola fere operatione chirurgica est posita: incipientem tamen symptomaticam, praecipue membranaceam secundariam (DCCCXI) interdum therapia interna, humores depurante, spissum diluente, mercurialibus, etiam ad saliuationem vberiorem propinatis, millepedibus recentibus, cinnabarinis, vomitoriis, sinapinis praesertim, reuellentibus variis, sternutatoriis hydrargyro mixtis, electricitate discuti vel saltem vlteriorem eius progressum praeuerti posse constat. In idiopathico tamen atque locali malo talis medendi methodus vix vmquam optatum praestabit effectum.

At

At vero ipſa operatio vix et ne vix quidem fauſtum ſucceſſum promittit, niſi bulbus oculi de cetero ſit ſanus morbusque cum nulla humorum labe complicatus, facultas denique ſuperſit lucem a tenebris diſtinguendi.

DCCCXIX. Dvplex autem laudatur ratio cataractae *operationem* inſtituendi: methodus nempe depreſſiua et extractiua. Vtramque ſuis laborare difficultatibus ſuisque gaudere praerogatiuis, mox patebit. Omnibus tamen recte perpenſis, periculorumque ab idoneis chirurgis factorum euentibus comparatis, facile adparebit, depreſſionem in vniuerſum palmam praeripere extractioni, ideo praeſertim, quod illa, ſi ex voto non ſucceſſerit, absque damno iterum iterumque repeti poteſt, inutilibus hisce tentaminibus haud impedientibus, quo minus ad extractionem demum recurri queat: quum e contrario extractio viſum non reddens omnem fere eum recuperandi ſpem excludat.

DCCCXX. Cataractae *depreſſionem* quod attinet, totus eius *adparatus* conſiſtit in acu ſingulari, manubrio inſtructa. Haec tamen ſatis

multiplicis eſt figurae. Alii rotundam, apice tenui praeditam, vt pote minutius vulnus efficientem vaſaque non adeo facile laedentem, alii planiorem, anterius obtuſam, poſterius ſcindentem, inferius ſulcatam, quae in maiorem cataractae deprimendae partem agat, praeferunt. Circa *encheireſin* ſequentia ſunt notanda. Chirurgus ante aegrotum, cuius caput ab alio chirurgo rite continetur, altiori ſedili inſedens et ita collocatus, vt adfectum oculum ex ſententia inſpicere queat, altero interea vinctura obiecto, diductis illius palpebris, bulbo antrorſum verſo, acum ad duarum circiter linearum a cornea diſtantiam paullulum infra transuerſalem bulbi axim, vno impetu per omnia oculi inuolucra in medium humorem vitreum transadigit: acus tunc verſus inferiorem ac poſteriorem lentis obſcuratae partem directa, capſulaque aperta verſus ſuperiorem eius partem deinde ducitur, et lens verſus inferiora et exteriora mouetur inque imam humoris vitrei partem detruditur, tali quidem, ſi omnia faueant, modo, vt lens depreſſa altera ſuperficie ſurſum, altera deorſum ſpectet. Haec depreſſio in cataracta cryſtallina firmio-

firmiore ſatis facili negotio ſuccedit, motu lentem depreſſuro rite moderato; difficilius autem abſoluitur iteratosque non raro poſcit conatus, ſi mollior vel membranacea fuerit. Depreſſione ſic facta lens detruſa aliquamdiu retineatur, vt ſpatium, quod occupauerat, vitreo humore impleatur. Cataracta fluida vel interſtitialis vix acus ope deprimi poterit; priorem tamen poſt praegreſſa talia tantamina citius inſpiſſari aut per ruptam capſulam effundi humorique aqueo admiſceri, praecipitari, reſorberi, viſumque ſic reſtitui poſſe experientia docuit, quod quoque de ſanguine humore aqueo admixto, incautae encheireſeos ſequela, valet. Lenti ſub operatione vel aliam ob cauſſam in anteriorem oculi cameram delapſae, quod in ſenibus, marcida vtplurimum cataracta, interdum accidit, corneae inciſione exitus eſt parandus. Compactiorem, ſi ob adhaerentias cum iride aut capſulae opacae firmitatem non admittat depreſſionem, acu perforandam eſſe ſtatuunt nonnulli, vt radiis lucis acceſſus in oculum detur. Nigrities atque puritas pupillae dilatatae depreſſionem ex ſententia ſucceſſiſſe monſtrat. Quo facto acus non tor-

quendo, ſed ea, qua immiſſa erat, directione pedetentim retrahenda et educenda eſt. Cataractam depreſſam capſula vaſisque deſtitutam lente conſumi nullumque ſui veſtigium relinquere compertum eſt.

DCCCXXI. Altera operationis cataractae methodus poſita eſt in lentis, capſulae vel liquoris interſtitialis opaci *extractione.* In qua ad ſequentia eſt attendendum. Mobilitati oculi, ſub corneae praeſertim inciſione, valde incommodae, variis inuentis occurrere tentarunt varii; diuerſis nimirum ſic dictis ſpeculis vtriusque palpebrae margini admotis; altero oculo corporis concaui ope firmiter fixato; hamulo coniunctiuae imiſſo; parua lanceola manubrio vel annulo adfixa lateri, incidendae parti oppoſito, velut terriculamento, obiecta; ſtylo curuato bulbo atque palpebrae interiecto, coniunctiuam reflexam tendente; qui tamen bulbum figendi modi plus minus noxiam eius preſſionem vel irritationem inducunt adeoque non ſine cautiſſima circumſpectione in vſum ſunt vocandi, ſicut quoque ſimilibus auxiliis carere poteſt exercitatior Chirurgus. Corneae inciſio ſemicircularis

ris circiter duas tertias eius partes emetiri debet. Cui ſcopo reſpondet cultellus, aut rectus, lanciformis, anceps, aut paululum curuatus, cuſpide ancipiti, dorſo deinde latiore, poſterius conuexa, anterius plana ſuperficie, diuerſae latitudinis, commodiſſime dimidiam corneae diametrum aliquantulum ſuperantis, quod inſtrumentum omnino praeferendum eſt forficibus ad eamdem inciſionem laudatis. Oculo recte anteriora ſpectante, talis cultellus haud nimis lente per mediam corneam ducitur; quod ſi vero bulbo introrſum verſo cultri apex verſus naſum educi nequeat, illum retrahere vulnusque ope forficis ampliare praeſtat, quam periculum incurrere, iridem aut corneae partem pupillae oppoſitam laedendi. Inſtrumentum elatere praeditum, ad inciſionem corneae laudatum, inuentis ingenioſis magis, quam vtilibus, merito adnumeratur. Rite deinde ac ſufficienter aperta capſula, cultelli tecti vel acus planioris ancipitis ope, adiuuante cautiſſima bulbi preſſione, cochlearisque deinde minoris beneficio lens opaca educitur, niſi haec, illaetabili certe omine, quam primum cornea inciſa eſt, violento cum impetu

proruperit. Iridem ſub operatione extractiua ita coarctatam, vt ſagaci bulbi preſſione extendi haud queat, inciſione facta eductionem lentis conceſſiſſe legimus. Sub diuerſo luminis gradu caute tunc admiſſo adcurate inſpiciatur pupilla; quod ſi enim muci opaci aut capſulae aliquid reſtet, pupillam offuſcans, prius cochleari minore, alterum forfice circumſpecte remouendum eſt. Humoris vitrei particula nonnumquam lentis extractionem ſequitur, quae vel forfici abſcindenda vel oculo ſtatim clauſo, vulneris corneae coarctatione ſeparanda eſt. Prolapſui iridis poſt operationem ad methodum (DCCLXXXV) expoſitam occurritur.

DCCCXXII. Cataractae operatione quocumque demum modo abſoluta clauſis palpebris acceſſus lucis ad vtrumque oculum vitetur, nec oſtentoſa obiectorum porrectione oculus fatigetur. Inflammatio epithemate frigido, acido, ac auxiliis antiphlogiſticis arceatur, praeſens diſcutiatur, diaeta tenuiſſima, animi corporisque quiete haud neglectis. Oculus denique lente ad ſuſtinendam lucem aſſuefiat. Morbi bulbo oculi poſt operationem accedentes ad ſingulorum indolem tractentur.

CAPVT

CAPVT II.

CALCVLVS.

DCCCXXIII.

CALCVLVS *eſt* concrementum durum, plus minus firmum, ex diuerſis conflatum, maximam partem tamen terreſtre, in cauo ſiue receptaculo quodam corporis humani prognatum.

DCCCXXIV. CVI generando varii fauent loci, praeprimis viae vrinariae, bilariae, alimentares, ſaliuales, variae glandulae, viſcera denique, cerebri, oculi, narium, linguae, pulmonum, cordis, lienis, vteri, ouarii, foetus ipſius exemplo, quinimo oſſa, muſculi et tela celluloſa.

DCCCXXV. DIVERSAE calculorum ſedi princeps eorum *diuiſio* innititur: ſolos tamen *vrinarios*, *bilarios*, *inteſtinales* atque *ſaliuales*, vtpote prae reliquis frequentiores pertractare ſufficiat.

Calculi vrinarii.

DCCCXXVI. CALCVLI vrinarii ſunt illi, qui ex lotio naſcuntur inque eius viis, rene, vretere, veſica, vrethra, praeputio vel tela celluloſa

losa has partes inuestiente laesarumque humorem recipiente haerent. Pro communi *principio* potissimum adgnoscunt partium terrestrium ex vrina excussionem veramque crystallisationem ad partem receptaculi vel canalis, minore calore animali praeditam, vel muco natiuo orbatam, vel phlogosi alioue morbo accumulationi et adhaesioni illius materiei aptam factam. Vlteriorem geneseos horum calculorum disquisitionem non admittit instituti nostri ratio. Variae autem quoad *formam* crystallisationis hic occurrunt differentiae: nonnulli enim calculi vrinarii substantiam plane porosam, alii laminationem simplicem, compositam, diuersis nucleis circumeuntem, communi lamella inclusam monstrant. *Symptomata* horum calculorum in vniuersum talia sunt, qualia ex solido irritante, premente, vrinae viam plus minus praecludente, non oriri non possunt. Haec autem non secus ac *prognosis* ac *therapia* valde differunt pro varia, quam calculus occupat, sede. Vnde per singula eundum.

Calculi renales.

DCCCXXVII. Calcvli renales vt plurimum in pelui vel calicibus vnius, sinistri praecipue,

vel

vel vtriusque renis *obuii*, ex variis *cauſſis*, cum externis, tum internis originem trahunt. Priores ſunt alimenta cruda, aquae petreſcibiles, vinum meracum multo tartaro praeditum, contuſiones, corpora aliena nucleum calculi praebentia. Ad poſteriores referuntur diſpoſitio haereditaria, arthritica, ad collectiones et concretiones materiei terreae prona, inflammatio, ſanguinis effuſio praegreſſa, vitia in ſtructura renum aut vaſorum horumue decurſu. *Diagnoſis* curioſiſſimum ſymptomatum praegreſſorum et praeſentium examen requirit, quum facile hic ſubrepat error. Iſchuria renalis (CDXVIII) lumbago, ſtupor femoris, coacta corporis ad anteriora pronatio, nauſea, flatulentia, vomitus, dolor colicus, obſtipatio, pulſus rarus et durus, vrina arenoſa, mucoſa, purulenta, cruenta, dolore inde a lumbis ad inguina deſcendente, acerbiſſimo, lancinante, cauſſa quocumque ad calculum generationem diſponente ſimul praeſente vel praegreſſa, calculi renalis ſuſpicionem inferunt. Cognitum autem malum illaetabilem ſemper habet *prognoſin*, quum neque de ſitu, figura, magnitudine calculi certum iudicium formari,

mari, neque indubiae efficaciae remedium adhiberi poſſit. Per ſe quidem citum vitae periculum morbus vnum modo renem adficiens haud infert; diuturnis tamen cruciatibus, ſuppurationibus et tabi, aegrotum demum conficientibus anſam dare poteſt, idque eo certius, quo maior, inaequabilior, et verſatilior fuerit calculus. *Curatio* radicalis, concrementi diſſolutionem efficiens, therapia interna qualicumque vix vmquam ſuccedit, hinc doloris ac irritationis lenimen, partium relaxationem, calculique per vretherem in veſicam propulſionem praecipit. Cui ſcopo venae ſectiones, pro re nata repetendae, ingeſta oleoſa, demulcentia, paregorica, lenia diuretica, inunctiones, ſemicupia, pro diuerſa ſymptomatum indole ac vehementia adhibenda, ſatisfaciunt. Quae vero ad extrahendum calculum renalem propoſita fuit operatio, *Nephrotomia* dicta, perpenſis omnibus quae circa hanc rem dicta et obſeruata fuerunt, vix admittenda videtur, niſi abſceſſu formato, oedemate ac ſignis rationalibus magis quam fluctuatione percepta noſcendo, locus ad inciſionem opportunus adpareat; ſicut quoque poſt apoſtema ruptum ſu-

per-

perstes fistula ad calculum ducens, debite ampliata, huic scopo inseruire posset.

Calculus vretericus.

DCCCXXVIII. Calcvlvs in alterutro vel vtroque vretere haerens e signis calculi renalis praegressis, ischuria vreterica (cdxxi) cruciatu magis ad peluim descendente *dignoscitur.* Maior, inclauatus ob vrinam supra calculum collectam ingenti dilatationi ansam dare potest. *Prognosis* atque *medendi* ratio cum iis, quae circa calculum renalem iamiam diximus, conueniunt. Insigne atque subitaneum leuamen perceptum calculum ex vretere in vesicam delapsum esse denotat.

Calculus vesicalis.

DCCCXXIX. Calcvlvs vesicalis aut in rene exortus perque vreterem in vesicam delatus vel in ipso hoc vtre prognatus esse potest. *Caussae* occasionales praeter (dcccxxvii) adlatas sunt vrina diutius retenta, ischuria vesicalis praegrssea, grumi purulenti, mucosi, cruenti, varia alia corpora aliena, siue per viam naturalem

lem siue dissolutionem praeuiam in vesicae cauum inducta, nucleum calculi praebentia, ipsius denique vesicae morbus, incrustationem superficiei internae admittens. Diuersae autem in his calculis notantur differentiae. Et primo quidem quoad *figuram* rotundi, ouati, oblongi, irregulares, angulati superficie vel inaequali, aspera, spiculata, quae quidem solitariis fere communis est, vel plana glabraque praediti, quales plusculi vna hospitantes esse solent, inueniuntur. *Substantiam* vel duram, compactam, vel molliorem, porosam, lamellatam, hancque vel simplicem vel compositam, habent. *Magnitudine* valde variant, a grani arenae specie ad molem plurium librarum, quae totum vesicae cauum impleat, vrinaeque intineri vix sulcum aliqualem lateri quasi insculptam relinquat, in crescere possunt. Perinde differunt *numero:* modo vnicus solitarius adest, modo centeni numerantur. Aliud discrimen ab *adhaerentia* habent; nonnulli enim liberi mobilesque in vesica resident, alii vero nexum aliquem cum ea habent; genuinus tamen coalitus calculi, vtpote corporis in-

inorganici cum veſica fieri non poteſt; adhaerentia autem locum habet, vbi filamenta ſiue excreſcentiae ex ſuperficie veſicae interna, vel huius rugae, inter inaequalitates calculi ſeſe demittunt adpoſitisque concrementi moleculis inclauantur; vbi mucus tenax, purulentus, ob diuturnam veſicae phlogoſin ex calculi irritamento natam, transſudans calculum veſicae adglutinat; vbi calculus veſicae adpendicibus, minore hiatu praeſertim praeditis, interpoſitus eſt ſpatiumque exacte replet; vbi calculus ex vretere delapſus ad obliquam eiusdem inſertionem non in veſicam ſed in tunicarum interſtitium penetrauit; vbi denique calculus pro parte in vretere vel vrethra impactus eſt, altera parte libera. *Signa* calculi veſicalis ſunt partim rationalia partim ſenſualia. *Rationalia* ſunt dolor hypogaſtrii, perinaei, pruritus dolorificus ad penis glandem extenſus, ſub finem mictionis ac veſica vacua, ob maiorem calculi grauitatem ſpecificam veſicaeque maiorem irritationem, grauiſſimus, vrinae fluxus, maxime in ſitu corporis erecto, celeris et dolorifica ceſſatio, ſub frequentiſſimo mingendi ſtimulo, absque totali veſicae euacua-

tione, vrina purulenta, cruenta, mucoſa, inuoluntarium eius ſtillicidium, ſenſatio ponderis in perinaeo, tenesmus, praeſentia cauſſarum ad calculi generationem diſponentium. Quae tamen omnia in aliis quoque morbis adeſſe poſſunt hincque merito fallacia habentur, niſi ſigna *ſenſualia* ſimul adfuerint. Haec autem deſumuntur ex veſicae exploratione inteſtinali, qua tamen nonniſi in infantibus indubii quid eruitur; omnium certiſſime vero catheteris, ad artis regulas (CDXXIX) veſicae immiſſi, immediato in calculum illiſione, tactus ac auditus ſenſu percipienda. Quo adcuratius autem fieri, figuramque et magnitudinem calculi quodammodo ſimul declarare poſſit catherismus, diuerſae figurae catheteres adhibentur, et ipſa operatio ſub vario ſaepe aegroti ſitu, adiuuante vrinam mittendi niſu digitoque indice in inteſtinum rectum immiſſo, inſtituitur. Ad *Symptomata* praeter ea, quae tamquam ſigna adduximus, referri poſſunt variae primarum viarum turbae, inſomnia, febris, primo acuta deinde lenta, quinimo a diuturno cruciatu marasmus, aegrotum tandem conficiens.

DCCCXXX.

DCCCXXX. Calculi vesicalis *prognosis* semper ambigua, constitutio tamen aegroti eiusque vires, calculi figura, magnitudo, indoles, situs, insignem in praesagio faciunt differentiam.

DCCCXXXI. Diri mali *curatio* multiplici quidem modo tentata fuit, et primo quidem variis lithontripticis dictis, saponaceis nimirum, alcalinis, acidis, amaris, aqua calcis viuae et aliis bene multis concrementum dissoluere conati sunt; at similia remedia calculum minus adgredi, quam muco tenaci irritationem leniente obducere, in vniuersum saltem incertum atque lentissimum praestare effectum, diuturnumque eorum vsum suspectum esse, experientia haud aequiuoca docuit. Idem fere de iniectionibus alcalinis per catheterem in vesicam iniiciendis valet, quippe quae calculum muco obductum intactum relinquunt, haud aeque ipsi receptaculo parcentes. Calculus non nimis magnus, in sexu posteriore praecipue, solis interdum Naturae viribus per viam naturalem educitur, quam hunc in finem diuersimode ampliare mos est. Certa vero et vnica, maioris saltem, calculi medela radicalis in operatione chirurgica, artificialem

exitum illi parante, Lithotomia ſeu magis proprie *Cyſtotomia*, dicta, conſtat.

DCCCXXXII. QVAE *operatio*, omnium fortaſſe grauiſſima maximique momenti, ab antiquisſimis temporibus usque ad hunc diem quoad adparatum, locum incidendum, encheireſes denique, tam vario modo mutata, emendata, amplificata iterumque contracta fuit, vt nunc demum methodo vſitatiori ac praeſtantiori vix quidquam addi vel demi poſſe videatur. Neque tamen diſſimulemus, hancce chirurgiam, ſumme arduam in vniuerſum atque ancipitem, minus conuenire iis, qui morbo renali vel veſicali, marasmo, febre lenta, ſenio exhauſti ſunt, aut calculum inter tunicas veſicae incluſum habent.

DCCCXXXIII. EXTRACTIO calculi in variis quidem *locis* tentari poteſt: in perinaeo anteriore, regione hypogaſtrica, ipſa denique vrethra, muliebri praeſertim. Inter diuerſas methodos cyſtotomiam in *perinaeo* inſtituendi, plures dantur, quae maximis laborant difficultatibus, quinimo periculis, harum itaque vitia breuiter

tan-

tantummodo indicare fas sit. Quae nempe ab *adparatu minore* nomen habet, et in qua calculus digitis recto immissis ac curuatis extrorsum premitur indeque nata eminentia inciditur, in adultis locum non habet, calculus difficillime sustinetur, incisio inaequalis fit ipsique vesicae contusio infertur. Hac tamen methodo vtendum foret in casu rarissimo, vbi nimirum neque catheter immitti, neque vesica iniecto fluido dilatari, calculus autem dicto modo rite extrorsum premi posset. Calculi extractio *adparatus maioris* ope praestanda merito reiicitur, quum in arctiore peluis parte, per bulbum atque partem membranosam vrethrae incisam, vix absque insigni laceratione grauibusque eius sequelis calculus extrahi, sanguisque, pus, vrina debite effluere possit. Adparatus magnus *lateralisatus* dictus, iisdem quidem difficultatibus, minore tamen gradu, premitur. Perfectissima vero calculum adparatu *laterali* dicto extrahendi methodus, quamquam vario modo, quoad instrumenta, figuram extensionemque vulneris mutata fuerit, summo iure reliquis iam praefertur, siquidem in ampliori peluis spatio instituitur,

 neque

neque nisi partes sectionem haud aegre ferentes vel extractioni firmiter sese opponentes incisione aequali facilique negotio diuidantur, reliquaque dilatatione lente et caute facta, conica vulneris figura effluxui sanguinis, puris, lotii, arenae, faueat, symtomata denique haud difficulter arceantur vel mitigentur.

DCCCXXXIV. Qvae dicta emolumenta omnia ei calculum extrahendi methodo competere videntur, quae ab Inuentore, suppellectilis tamen magis quam encheireseos reformatore, Cattiana nuncupatur, vnde haec iam vbique fere ceteris praeferri constantique successu praestantiam suam comprobare consueuit. *Adparatus* hic vsitatus requirit specillum sulcatum singulare, Itinerarium vulgo dictum, apice clausum, manubrio firmo, largo, instructum, ad vulgarém catheteris figuram curuatum, rostro tamen longiore praeditum, ita vt apex manubrio ad perpendiculum sustento pollicem circiter in vesicae cauo promineat atque conuexitas in perinaeo aliquam eleuationem producat; cultrum ancipitem, in cuius altera superficie sulcus ad medium apicem decurrens est insculptus quique manu-

manubrio firmo gaudet; conductorem cannulatum, cultellum tectum qui ad diuersam altitudinem educi potest cumque sulco sursum spectante angulum XLV graduum facit, vel dilatatorium simul continentem; forcipes variae longitudinis et latitudinis, recti et curuati; rite fabrefacti; sirynx pro iniectione liquidi; acus curuatae variae ac peculiaris, pro liganda arteria pudenda; spongia spleniaque diuersa. His, vt artis est, dispositis *situs* aegroti adornandus est. Quippe iste, debito regimine praeparatus, intestino recto nuper eluto, in mensa altiore, firma collocetur, diductis genubus, calcibus ad coxas retractis, vtraque manu ad pedem demissa et malleolis adligata, trunco leuato aque adstantibus rite sustentato. *Encheireses* quod attinet, itinerarium oleo inunctum ad artem in vesicam demittitur, calculique praesentia denuo certe indagata adsistens chirurgus manubrium toto pugno amplectitur firmiterque ita tenet, vt illud sursum spectet, dum altera manu scrotum simul eleuat. Ipse autem Chirurgus operationem peracturus, sinistro genu insistens, pollice sinistro ad perinaeum adplicato, cultro instar

calami ſcriptorii digitis prehenſo, ſulco extrorſum verſo, maiori plaga ad raphen, pollicem circiter ab ano diſtantia, incipiente et oblique inter anum et ſiniſtram iſchii tuberoſitatem decurrente, cutim vna cum celluloſa tela diuidit, ſulco ſpecilli deinde vnguis digiti indicis ſiniſtri ope explorato, apex cultri in ſuperiore vulneris angulo, vngue duce, in ſulcum itinerarii immittitur et pars vrethrae membranoſa infra aut ad latus bulbi, lateraliter preſſi, ad proſtatam vsque aperitur, nec vrethrotomi cuſpis e ſpecilli ſulco extrahatur, antequam tota haec vrethrae pars verſus ſiniſtrum latus diuiſa fuerit. Rite abſoluta hacce inciſione laeua manu vrethrotomi manubrium prehendit Chirurgus, altera vero roſtrum conductoris cyſtotomi, cuius lamina ſcindens e vagina ad determinatum gradum educta atque firmata eſt, iuxta canalem lamellae vrethrotomi inſculptum, in ſulcum catheteris ducit, quod rite factum eſſe ex paruo ad ſuperiora et inferiora motu ſuccedente noſcit. Tunc ereсtam reſumens poſituram, manu ſiniſtra manubrium catheteris vna cum alterius Chirurgi manu, illud iam tenente, amplectitur adque

oſſium

ossium pubis arcum attollit, quo motu prostata et vesicae collum ab intestino recto aliquatenus remouentur. Dum haec fiunt, conductorem cystotomum dextra manu iuxta catheteris sulcum, depresso paululum manubrio, recta via in vesicam demittit, probe cauendo, ne sulcum catheris relinquat instrumentum, quo motu ad directionem laminae scindentis, inter horizontalem nempe atque perpendicularem mediam, in prostatae substantiam ducitur sulcus, maximaque huius glandulae pars finditur, facie tamen intestinum spectante illaesa seruata, musculo transuersali ac ligamento vrethrae subiecto perinde diuisis; ipsius vero vesicae ostium parca tantummodo incisione attingitur. Noscimus autem conductorem cystotomum in vesicam peruenisse, si eius rostrum ob extremum catheteris sulcati clausum alterius progredi nequit lotiumque vndatim effluit. Quibus debite peractis catheter sulcatus educitur, lamellaque scindens in vagina reconditur: deinde cautissima manu, conductoris cannulati extrema diducendo, leniter et pedetentim vesicae orificium dilatatur, id probe curando vt extremitates instrumenti non integre clau-

 dantur,

dantur, ne partes vellicentur. Laeua manu tunc accipiendus eſt canalis ductor dextraeque index in veſicae cauum lente et prouide demittendus, vt quousque dilatatum fuerit, exploret. Quo facto forceps cum conductoris ſulco angulum acutum faciendo in veſicam ducitur calculique ſitus exploratur, qui inter diductos leniterque rotatos forcipis ramos decidere ſolet. Quod ſi iſti calculo prehenſo maximopere a ſe inuicem diſtent, aut hunc magnae molis aut in maiore ſuo diametro arreptum eſſe, aut prope iuncturam forcipis teneri iudicamus. Poſteriora vitia ſpecilli maioris adminiculo adcuratius explorantur et, quantum fieri poteſt, corriguntur. Calculus autem rite arreptus, forcipe ſurſum deorſumque absque rotatione moto ad directionem axeos peluis lentiſſime educitur, ſiquidem omnis oſtentoſa in hac re feſtinatio valde noxia ſaepeque funeſta eſt.

DCCCXXXV. Calcvlvs fragilis ſi ſub extractione *frangeretur*, maiora fragmenta reperita cauta forcipis introductione extrahuntur, quod quoque de *plusculis* calculis ſimul in veſica hoſpitantibus valet. Fruſtula minora ſabuloſa aut cochle-

cochlearis ope educuntur aut liquido in veſicam iniecto eluuntur. Calculus *maioris voluminis* non ſine ſumma violentia per factam plagam extrahendus, aliquot diebus praeterlapſis vulnere ſuppuratione laxato felicius traducitur: aut forcipis vulgaris vel proprii miniſterio diffringitur fruſtatimque extrahitur: aut ſi ingentis molis fuerit calculus, ſectio hypogaſtrica, largiorem viam parans, inſtituenda eſt. Si *haemorrhagiae* anſam dederit haec methodus, ob vulneris interni paruitatem rariſſime ex vaſe profundo natae, aut agarici fruſtulum, digito per aliquod tempus adpreſſum, aut cannula agarico inuoluta in vulnus immiſſa, vel ligatura, acu peculiari perficienda, ſanguinem coercebit. Calculi *adhaerentiae*, exacta veſicae exploratione cognoſcuntur. In ancipite hocce caſu curatio tentata fuit circumſpecta calculi adhaerentis forcipe prehenſi attractione; capſulae ope forcipis frequentiore irritatione ſuppurationem demum inducente; iniectione in veſicam crebro repetita; quid? quod inciſa capſula calculum extractum eſſe legimus. Ad auertendas grauiſſimas huius morbi *ſequelas*, methodus antiphlogiſtica, abdominis

minis inunctiones, fotus, regimen strictius ac praecipue semicupium quotidie adhibitum, tum quoque paregoricum post absolutam operationem propinatum, mire conducunt. *Vulnus* ipsum instar simplicis tractetur, vrinae primis diebus liber effluxus concedatur; adductis postea vinculi iniecti adminiculo genubus, labiis vulneris approximatis, lente hoc coarctetur lotiumque ad repetendum pristinum suum iter cogatur. Complicationes forte superuenientes methodum in vulnerum complicatorum pertractatione expositam desiderant.

DCCCXXXVI. Sectio *hypogastrica*, quae etiam ab adparatu alto nomen habet, vesicae in antecessum expansionem poscit, quae quidem in omni calculoso difficulter, quinimo persaepe impossibilis est. Tentatur tamen aut copiosiore potu, vrina quamdiu ferri potest, retenta; aut iniectione liquidi cautissima, quantitate indies aucta. Vesica tandem vsque adeo impleta vt supra pubem promineat, incisione in inferiore lineae albae parte secundum huius longitudinem facta superioris fundi vesicae pars anterior, peritonaeo haud obtecta, cultro, apicis

acie

acie pubem ſpectante, dorſo in vnci figuram prominente aperitur, quo veſica lotio effluente ſuſtinetur, donec digitus index vel, quod praeſtat, duo vnci planiores a latere in veſicam in- 'uci queant. Calculus tunc haud difficulter cipe arreptus extrahitur. Difficultas tamen eſicam ſufficienter implendi, et metuenda infiltratio lotii in celluloſam, vel ſaltem diuturna ac moleſta catheteris in veſica retentio, quo iſta effuſio praecaueatur, hancce methodum ſuſpectam reddunt, morbo quocumque prohibitam, niſi eam facilis ſucceſſus impletionis aut catheteris in veſicam immiſſio impoſſibilis indicet.

DCCCXXXVII. Extractio calculi veſicalis per *vrethram integram* ob maiorem huius canalis breuitatem et diametrum in mulieribus, quippe per quam non raro Natura ſat magnos propellit calculos, locum habere poteſt, vrethra nempe in anteceſſum ſiue proprii dilatatorii ſiue conductorum, maris foeminaeque dictorum, miniſterio lente et circumſpecte diducta. At vero ob vrinae incontinentiam exinde metuendam, praecipue ſi maioris molis fuerit calculus, parua inciſione vrethrae laterali extractionem adiuuare

prae-

praeſtat. Inter alia inſtrumenta in hunc finem excogitata commodiſſimum eſt conductor cyſtotomus in ſectione laterali virorum iamiam commendatus, ſpecillo ſulcato dirigente in veſicam demittendus. De reliqua tractatione eadem valent quae in praecedentibus monuimus.

Calculus vrethralis.

DCCCXXXVIII. Calcvlvs in membranoſa vrethrae parte, aut in vlteriore eius progreſſu aut in foſſa nauiculari haerere poteſt. In priore caſu ſymptomata iſchuriae veſicalis calculoſae, calculi ſuſpicionem iniiciunt, qui et mediante apparatu minore (dcccxxxiii) extrahitur. Si ſub vlteriore in vrethra progreſſu ſubſtitit calculus, quod digitus ſpecillumque facile detegunt, neque niſus Naturae cereusue in vrethram immiſſus eum propellere valet, ſpongioſus vrethrae textus ſuper calculo ſectione longitudinali incidendus eſt, qua facta calculus ope hamuli obtuſi extrahitur. Notandum tamen inciſionem integumentorum vulnus ipſius vrethrae excedere eiusdem directionem ſequi debere. Calculus in foſſa nauiculari obuius glandis inciſionem poſcit.

Calcu-

Calculus praeputialis.

DCCCXXXIX. Calcvlvs in pueris vel viris phimosi, congenita praesertim, laborantibus, intra ipsum praeputium ob vrinae in hocce vestibulo retentionem interdum haeret, siue ibidem formatus siue ex vrethra delapsus fuerit. In vtroque casu ad maiorem molem, ad parietes includentes configuratam, excrescere valet. Exploratione indagatus sectione in ipso praeputio instituta aufertur.

Calculi bilarii.

DCCCXL. Calcvli fellei in vesica bilaria, ductu cystico vel cholodocho, rarius in hepatis substantia aut ductu hepatico *obuii*, ex bilis spissioris concremento *ortum* trahentes, vt plurimum *naturam* resinae adfectant, vtpote fusci, brunni, leues, in aqua haud solubiles, ad ignem flammam facile capientes. *Symptomata* varia inducere valent, a calculi irritamento, bilis impedito transitu, nisu Naturae calculum expellendi, oriunda. Vel solitarius adest talis calculus vel plures, quin numerosissimi simul in vesicula hospitantur. *Diagnosin* huius morbi, cum alio hepatis adfectu facile confundendi sistit dolor

hypo-

hypochondrii dextri ad coſtarum ſpuriarum extrema ac epigaſtrium excurrens, nonnullis a paſtu horis recrudeſcens, quem aurigo et alia ſymptomata ex denegato bilis in duodenum effluxu profluentia comitari vel ſequi ſolent. *Cauſſa* morbi eſſe poteſt quidquid bilis concretioni fauet, ſicut vita ſedentaria, obſtacula varia, bilem in cyſtide retinentia, forte etiam diſpoſitio haereditaria. *Curatio* verſatur in longo diluentium, emollientium, antiſpasmodicorum eccoproticorum vel leniter laxantium vti et ſemicupiorum vſu, quibus nempe exitus calculorum facilitatur. Solutionem concrementi variis tentarunt varii: nouiſſime laudari videmus oleum therebinthinae ſpiritui aethereo mixtum. Quod ſi praegreſſa in anteceſſum phlogoſi tumor fluctuans percipiatur, circumſcriptus, ad coſtarum ſpuriarum marginem ſitus, concretionem veſiculae felleae cum peritonaeo indicans, inciſione facta calculos extrahi poſſe experientia teſtatur. Subita autem cruciatus ex calculi bilarii irritamento haud dubie oriundi ceſſatio illum per ductum cholodochum in inteſtinum transiiſſe docet.

Calcu-

Calculi inteſtinales.


DCCCXLI. Calcvli inteſtinales in inteſtinis, craſſis praecipue, obuii a ſcybalis duriſſimis aut variis corporibus alienis ingeſtis *orti*, multiuariis atque aequiuocis ſymptomatibus ex canalis alimentaris irritatione, eius functione laeſa, impedito faecum aluinarum tranſitu pendentibus, perlongum ſaepe tempus perdurantibus anſam dare poſſunt. *Therapiam* quod attinet, malum catharticis propinatis exacerbari ſolet; diuturnus autem oleoſorum et mucilaginoſorum vſus, fomenta, clysmata, ſemicupia emollientia calculi progreſſum facilitant. In inteſtino recto haerens, diarrhoeae chronicae, non raro cruentae, tenesmi grauiſſimi, vlcerationis, febris lentae, conſumtionis tabidae cauſſa, exploratione inteſtinali indagatus, ano, prout res exigit, vel lente dilatato, vel inciſo forcipis ope extrahitur.

Calculi ſaliuales.

DCCCXLII. Non ſolum calculi in ſaliuae viis haerentes, ſed alii quoque partes glanduloſas infeſtantes, diuerſimode moleſti aut nociui, indagatione praeuia facile indigitant methodum medendi.

DCCCLIII. Concrementvm *tartareum* dentibus adhaerescens, saliuae atque immunditiei progenies idoneo instrumento abradi debet: cauendo tamen ne rudiore conatu gingiuae a dente dissoluantur vnde vix medicabilis nascitur huius vacillatio, vel ipsius substantiae vitreae iniuria inferatur.

DCCCLIV. Concreta *pilosa* in variis visceribus vel cauo abdominis interdum obuia, diagnosin perinde ac medelam excludunt.



CAPVT III.

IMPERFORATIO.

DCCCXLVI.

Imperforationem *vocamus* defectum hiatus seu concretionem parietum aperturae naturalis externae maioris, sensui aut excretioni cuidam inseruientis. Quae in vniuersum aut congenita aut acquisita ceu alius morbi sequela est. Praecipuae autem huius vitii species nobis considerandae sunt in *iride*, *naribus*, *auribus*, *vagina*, *recto*: puncti enim aut canalis lacrymalis, ductus saliualis ac vrethrae imperforationem in praecedentibus iam attigimus.

Imperforatio iridis.

DCCCXLVII. Concretio pupillae spatium replens vel *natiua* est, membrana pupillare subsistente, vel *accidentalis*, ophthalmiae grauioris, vulneris, contusionis, cataractae operationem passae, sequela. Deinde vel *simplex* est, in oculo ceteroquin sano occurrens, vel *complicata*, cum varia cataracta, concretione capsulae cum vuea, oculi atrophia iuncta. Morbus si *me-*

delam admittit, nonnisi iridis incisione tollitur. Quae acu planiore, scindente, prope corneam per scleroticam ac mediam pupillam transuersim a posteriore parte in anteriorem oculi cameram ducta cum successu instituta fuit. Quum vero huius vulneris labia haud distrahantur, hinc facile iterum reuniantur, interdum quoque sanguis effusus humorem aqueum turbans incisioni rite perficiendae obstet, corneae vti, in cataractae extractione fieri solet, incisionem praeuiam, iride, deinde non quidem in pupillae futurae centro sed ad latus, versus eius interiora, perforata aut incisa, faustiorem successum promittere compertum est, quum ob fibras transuersas dissectas labia vulneris facti se a inuicem distrahantur.

Imperforatio meatus auditorii externi.

DCCCXLVIII. Avris externa imperforationem habere potest vel *natiuam*, subsistente membrana decidua, quae in infante tympanum obducit, aut alia difformitate congenita; vel *accidentalem*, ex praegressa inflammatione, suppuratione,

ratione, variolis confluentibus, combuſtione natam; totolem aut partiam. Morbo, auditus diſſicultatem inducenti ſola inciſione ſcalpello vel paracenterio inſtituenda, in ſuperficiali quidem colitu haud difficili, in profundiore autem ambigua, *medendum* eſt. Reſtituta canalis peruiatione vlcus turundis dilatantibus expleatur, donec ſuperficiei obducta fuerit cutis. Profundiſſima concretio ad ipſum tympani cauum extenſa artis auxilia haud raro ſpernit, ſono tunc nonniſi per tubam Euſtachianam, ore aperto aeri externo patulam, in auris interiora perueniente.

Imperforatio naſi.

DCCCXLIX. Imperforatio narium rariſſime *congenita*, ſaepius *accidentalis*, poſt varias violentias externas, inflammationes, ſuppurationes, variolas, confluentes praeſertim, neglectis cautelis nata, obſeruatur. Aut ſuperficialis eſt, aut profunda, modo vnum, modo vtrumque narem occupans. *Laedi* vario gradu exinde odoratum reſpirationem, loquelam, patet. *Chirurgia* conſiſtit in inciſione lanceola vel acu triquetra inſtituenda, quo facto vulnus tubulo ſeu turunda

caua apertum seruatur donec cute obtectum, neque succedentis coarctationis periculum metuendum fuerit.

Imperforatio vaginae.

DCCCL. Vaginae imperforatio etiam aut naturalis aut accidentalis est. Prior saepissime ab hymene aperturam occludente, exoritur, neque noxam parit antequam catamaeniorum fluxus ac concubitus inde impediatur. Est autem vel totalis vel partialis. Totalis incisionem, eamque cruciatam, exigit. Partialem vero a hymene parua apertura gaudente conceptionem admittere, partui vero obstare posse compertum est. Ad cultrum tunc recurrendum est. Accidentalis aut symptomatica vaginae concretio plenaria vix vmquam occurrit; partialis vero seu coarctatio, inflammationis, abscessus, vlceris, rupturae, partus laboriosi haud infrequens sequela coitui vel saltem enixui obstaculum parare valet, in quo casu perinde ad incisionem deueniendum est, nisi emollientibus malum cedat.

Imper-

Imperforatio ani.

DCCCLI. Triplici gradu natiua ani imperforatio, malum neonatis proprium, adesse potest. Vel enim istud ostium membrana tenui per quam faeces fere transparent, occluditur, vel minima obseruatur apertura, meconio transmittendo vix sufficiens, vel quoque coalitus, profundior quidem, vestigium tamen cicatrici simile ani locum indicat; vel concretio profundissima in colon interdum adscendens, absque vllo ani vestigio adest. Vitium certissime lethale, nisi exitus excrementis parari possit, *incisionem* necessariam reddit, quae in primo gradu lanceolae ministerio ad formam cruciatam satis facile perficitur: in secundo maior occurrit difficultas, quum culter secundum intestini tractum sit dirigendus vt in ipsius cauum penetret neque tamen a debita via aberrans tunicas discindat. Maximus ac profundissimus coalitionis gradus medelam includit.



CAPVT V.


ANCHYLOSIS.

DCCCLII.

Anchylosis *est* articulationis mobilis ad motum praestandum inhabilitas saepissime cum tumore plus minus duro coniuncta, quae vel ex callo ad articulum ossis fracti, vel exostosi ad iuncturas, vel ligamentis rigidis, vel inspissato muco, qui articulum lubricare deberet, *originem* trahit. Vnde in genuinam et spuriam distingi consueuit. Anchylosis *vera* oritur a laesa ossium crusta articulari cartilaginea, vnde fibrae osseae in articulo propullant coalitumque efficiunt, nulla demum arte soluendum. Anchylosin *spuriam* vel symptomaticam inducunt plurimi iuncturarum morbi harum figuram aut lubricitatem, ligamentorumue articularium flexilitatem diuersimodo laedentes. Posterioris *curatio* morbi primarii medelae innititur. Ligamentorum rigiditati methodo relaxante (LVI) occurritur: inspissatae synouiae praeter balnea vaporosa, saponacea, stillicidia cum prudenti lenissimo atque repetito motum reducendi tentamine conueniunt.

DCCCLIII.

DCCCLIII. Aliae concretiones congenitae aut ſymptomaticae, *linguae* nimirum imminuta mobilitas adque ſuctionem inhabilitas a frenulo iuſto breuiore, *palpebrae* cum bulbo oculi concretio, ſiue totalis ſiue partialis *gingiuarum* cum gena poſt hydrargyroſin coalitio, *digitorum* aliorumue partium nexus praeternaturalis, prouidam ſectionem diuiſique, pro re nata ſeparationem poſcunt. Quoad linguam nimis ſtrictam tamen caueat Chirurgus ne absque maturo examine inciſionem fraenuli ſuſcipiat lethalique illius in fauces retrouerſioni (DI) vel haemorrhagiae anſam det.



SVBSECTIO III.

ABVNDANTIAE VITIOSAE.

DCCCLIV.

MORBI vel vitia in abundanti volumine vel numero partis cuiusdam organicae consistentia cum morbosa intumescentia, excrescentia cet. haud confundenda, multiuarii notantur. Neque tamen chirurgi curam requirunt, nisi vel formam deturpent vel noxam inferant: neque in omnibus artis auxilia vtiliter adhiberi queunt. Nonnullae autem partes, quibus tuto orbari atque carere potest homo, sicut digiti et dentes iustum numerum excedentes reliquisque molesti, clitoris monstrosa nymphaeque nimium propendentes resecari debent, quoties operatio nullum minatur periculum, quod incommodo vel difformitate magis metuendum foret.



SVB-

SVBSECTIO II.

DEFECTVS PRAETERNATVRALES.

DCCCLV.

DEFECTVS partis organicae aut conformationem monſtroſam, congenitam aut morbum praegreſſum aut factam aliquam operationem chirurgicam pro cauſſa adgnoſcit. Quae inde profluant formae functionumque laeſiones facile intelligitur. Quamquam autem artis conatus vires Naturae plaſticas aequare minime valeant, multiplici tamen artificio membri defectum celare vel ſupplere didicimus. Sic poſt grauiſſimos bulbi oculi morbos, quibus viſus periit, foedus ſaltem adſpectus oculo artificiali, illaeſo alteri ſimili, pone palpebras immiſſo, etiam bulbi motum quodammodo ſequente attentiſſimamque non raro inſpectionem fallente, corrigitur. Naſus artificialis hiatui adfixus turpiſſimam difformitatem minuit. Sic crura, brachia cet. diuerſimode fabricata artuum defectum ad primum ſaltem intuitum occultant. Princeps tamen in ſimilibus ſupplementis ſcopus eſt, vt mem-

membrum artificiale, quantum fieri poteſt, ablati functionem ſimul praeſtet. Sic auris rite fabrefacta auditum pro parte reſtituit: dens factitius loquelae ac maſticationi perinde ac natiuus inſeruit, lamella palati hiatum, qui auerſabilem cacophoniam ingeſtorumque per nares regurgitationem creat, debite obturans haec vitia tollit. Fulcra cauitatum amiſſa variis adminiculis recuperantur. Membra artificialia tam admirabili mechanismo praedita, vt varios motus etiam ad lubitum mutilorum perficere valeant, recentiorum ſagacitati debemus. Quid? quod ſpeciem virilitatis reſtitutam eſſe legimus.

F I N I S.

Ex Officina Thieliana.

